EPITOME COLLOQVIORVM ERASMI, CONTINENS IN SE COMMVNIORES QVOTIDIANI SERMO-nis formulas, nunc denuò in puerorũ vsum æditas.

HEXASTICON AD PVEROS.

Deus puer, ingenuis mentem virtutibus orna.
Imberbis, discas verba Latina loqui.
Crede mihi, haud pulchro radiãtes, gẽmulę in auro,
Splendida nec byssus, purpureæúe togæ:
Ingenuum exornant puerum: quantũ inclyta virtus,
Ingens quam sequitur, gloria, fama, decus.

LONDINI,
Ex officina Henrici Suttoni typographi.
ANNO DO. M. D. LVII.

ACCESSERE.

Precatio dicenda quum manè
surgitur.
Precatio ante cibum sumẽdum.
Benedictio mensę ante degustationem.
Gratiarum actio mensæ.
Precatio post cibum.
Precatio dum itur cubitum.
Comœdia quædã Ioan. Textoris
Dialogus Pueri & Præceptoris.
Decem Dei verba siue præcepta.
Ad virtutis studium adhortatio.

EPITOME COLLOQVIORVM.

EX Proœmio præcepta.

NON TEMERE DOCET quidam, vt ſalutemus libenter. Comis enim & blanda ſalutatio, ſæpe conciliat amicitiam, inimicitiam diluit: certè mutuam beneuolentiam alit, augetque.

Vrbanitas eſt, ſalutare obuios, aut eos qui nos adeũt, aut quos adimus ipſi colloquendi gratia. Itẽ operis aliquid agẽtes, cœnãtes, aſcitãtes, ſingultiẽtes, ſternutantes, tuſſientes.

In ructu crepitúue vẽtris ſalutare, hominis eſt plus ſatis vrbani. Sed inciuilius etiam, eũ ſalutare qui reddit vrinã, aut exonerat aluũ. Vrbanũ eſt addere cognationis & affinitatis titulum, niſi quum habeant aliquid odii: tum enim præſtat abuti plauſibiliorib⁹. Vt, pro nouerca, mater, pro priuigne, fili: pro caligarie, calcearie, vir honorãde. Senes, ignotos adoleſcentes, filiorũ cognomẽto ſalutãt. Adoleſcẽtes viciſsim illos, aut patres, aut dominos.

Salutandi formulæ in primo congreſſu.

Salue pater amantiſsime.
Salue mea matercula. Salue mi frater.
Salue præceptor obſeruande.

Salue condiſcipule. Saluus ſis.
Salue plurimùm amicorum optime.
Salue vir ornatiſsime, ſpectatiſsime.
Saluete pariter omnes.
Saluete quotquot adeſtis vna ſalute omnes.
Salue congerro lepidiſsime. Saluete belli homunculi. Saluete iterum atque iterum.
Salue anicula, annos nata quindecim.
Salue puella, annorum octoginta.
Saluere te iubeo. Salutem tibi precor.

RESPONSIO.

Et tu ſalue. Saluus ſis tu quoque.
Et tu tantundē Nicolaë. Et tu ſalue perpetuū.
Salue tantundē mi Petre. Idem tibi precor.

BENE precandi formulæ. Et bene precari, ſalutationis genus eſt.

CONVIVIS.

Sit felix conuiuiū. Bene ſit vniuerſo cœtui.
Precor omnia læta, omnibus vobis.
Deus bene fortunet veſtrum conuiuium.

STERNVTANTI.

Sit fauſtum ac felix. Seruet te Deus.
Sit ſalutiferum. Bene vertat Deus.

AVSPICANTI QVIDPIAM.

Sit felix & fauſtum Reipublicæ.
Bono ſit omnibus quod inſtituis,
Benè vertat Deus quod agis.

Bene fortunet Christus Optimus Maximus, quod in manibus est.
Faueant superi tuis conatibus.
Feliciter cedat, quod instituisti.
Prosperè succedat, quod auspicatus es.
Bonis auibus cœpta res, melioribus exeat.

PROFICISCENTI QVOPIAM.

Precor, vt bonis auibus hinc abeas, melioribus redeas. Opto tibi felicem cursum, & recursum feliciorem. Sit iter lætum, reditus lætior. Bonis auspicijs, soluas anchoram.
Vtinã ista ꝓfectio succedat tibi, ex animi sententia. Sospitet te Iesus Optimus Maximus.
Superi propitii, te nobis incolumẽ restituãt.
Seruet te Deus, animæ meæ dimidium.
Opto tibi reditum incolumem.

RESPONSIO.

Maximas tibi gratias ago. Precor tibi vicissim omnia læta.
Seruet te Deus interim quoq; incolumem.
Faxit Deus, vt omnia vtriq; cedãt ex sentẽtia

VALEDICENDI.

Bene vale. Valete omnes.
Cura vt quàm rectissime valeas.
Valetudinem tuam cura diligenter.
Vale quàm optimè. Vale in crastinum.
In hoc biduum vale.
Cura vt sit mens sana, in corpore sano.

RESPONSIO.

Dabitur quidem opera.
Valebis tu quoque. Et tu fac valeas.
Tibi vicissim precor prosperam valetudinẽ
Faxint superi, vt aliquando rediens incolumis, vos incolumes offendam.

IN DIGRESSV.

Quò tu nunc abis? Quo vadis?
Quò noster Leonarde? Quò te confers?
Quò se nunc proripit ille?
Quò te Mœri pedes? Quò properas?
Quónam hinc abiturus es?
Quò nunc iter est?

RESPONSIO.

Confero me domum.
Recipio me in patriam. Eo in scholam.
Ibo hinc ad forum, empturus panẽ, papyrũ.
Rus hinc concedo.
Eo ad macellum, allaturus obsonia.
Ex concilio parentum meorum. Vittenbergam proficiscor, ad amplioré ingenii cultum capiendum. Propediem, vt à patre percepi, hinc abiturus sum. Commigraturus sum Norinbergã, Basileã, Lutetiã.

SALVTARE PER ALIVM.

Frobenium iubebis meo nomine saluere.
Erasmiolum mea causa salutabis diligenter.
Matri, quàm potes officiosissime, ex me salu-

tem

rem dicito.
Dic me omnibus omnia læta precari.
Salutabis mihi ſodalitatem diligenter.
Amicos omnes meis verbis ſalutato.
Fratri ex me ſalutem dicito.
Saluta omnes, qui de me percontabuntur.

RESPONSIO.

Faciam diligenter ac ſedulò. Curabo. Fiet.
Dabo operam. Effectū reddam. Curabitur.

BENE precandi contrahenti.

Precor, vt hic contractus commodo, bonoq; ſit vtriq;. Precor, vt hoc matrimoniū voluptati ſit omnibus nobis.
Vtrique veſtrum fauſtum felixq; ſit precor.
Adſit Deus.

IN NOVI anni initio.

Precor, vt hic annus tibi lætis auſpicijs ineat, lætioribus procedat, letiſsimis exeat, ac ſæpius recurrat ſemper felicior.

IN EXORTV DIEI.

Precor vt hic dies tibi candidus illuxerit.
Precor vt hic ſol tibi felix illuxerit.
Sit felix exortus diei. Bonus dies.
Opto tibi bonum diem.
Proſper ſit tibi hic dies.

RESPONSIO.

Sit vtrique noſtrum proſperrimus.
Habeo gratiam. Idem tibi reprecor.

Gratia Deo. Ego tibi viciſsim, multa ſecula feliciſsima precor. Amo te.
Cupio quæ vis, omnia. Amandus es.
Benignè dicis. Comis es.

INSTANTE NOCTE.

Opto tibi noctem proſperam.
Precor tibi noctem placidam.
Contingat tibi felix ſomnus.
Det tibi Deus placidam quietem.
Sit tibi fauſta nox. Fauſtam degas noctem.

RESPONSIO.

At ego tibi pro vna fauſta: mille precor fauſtiſsimas. Tantundem tibi reprecor.
Tibi viciſsim precor quietem placidam.

FORMVLAE petendi quidpiam à Præceptore.

Obſeruande præceptor, liceat mihi pace tua, hoc die abeſſe ſchola.
Amantiſsime præceptor, fac mihi poteſtatem abeundi domum.
Liceat mihi conſenſu tuo exire, ad exonerandum aluum.
Fac mihi copiam exeundi, vt reddam vrinã.
Liceat mihi permiſſu tuo exire, ad exonerandam veſicam. Precor, vt ſit mihi facultas hoc die laborandi in agro, prato.
Abeundum eſt mihi rus, ex iuſſu parentis: precor vt id fiat pace tua.

Auo-

Auocor hinc, præceptor obſeruandiſsime, ſeriis parentum meorum literis: eam ob rem quàm poſſum amãter te oro, vt hinc migrandi poteſtatem mihi concedas.

Quòd me primùm in tuam diſciplinam humaniſsimè recipere dignatus es, deinde quod ſcholæ tuæ ſectator fui, & fideliter, & accuratè, tam literis bonis, quàm rectis moribus expolire ſtuduiſti, gratias tibi immortales ago.

Humaniſsime vir, ego à parentibus meis miſſus ludi tui fama excitus, huc appuli, ad vberiorem ingenioli mei eruditionem comparandã: quare tuam humanitatẽ amanter rogo, vt me in tuorum gregem recipere digneris. Do fidem, me in omnibus quod rectum erit, quodque tu iuſſeris, facturum.

INFANTVLI DICVNT.

Præceptor	domum, emptum.
peto veniam	papyrum, panem.
exeundi	cacarum, mictum.

EXCIPIENDI reducem formulæ.

Gratulor tibi aduentum.

Bene factum quòd veniſti.

Aduentus tuus ſaluus, eſt mihi gratiſsimus.

Saluũ te adueniſſe gaudeo. Gaudeo te adueniſſe. Gratulor mihi, quòd adueniſti.

Soſpitem te adeſſe volupe eſt.

Gratulamur tibi felicem reditum.

RESPONSIO.

Gratias tibi ago. Habeo tibi gratiam.
Ego viciſsim lætor, quòd incolumis, vos incolumes offenderim.
Gaudeo quoque, me ſaluum inuenire te.
Aſpectus tuus incolumis, viciſsim mihi iucundiſsimus eſt.

Percontandi forma in primo congreſſu.

GEORGIVS. LIVINVS.

GE. Ex qua tandem corte, aut cauea nobis ades? LI. Quid ita? GEO. Quia male ſaginatus, Quia macie pelluces totus, ariditate crepitas. Vnde prodis? LIVI. E collegio montis acuti. GEO. Ergo ades nobis onuſtus literis. LI. Imò pediculis. GEO. Pulchré comitatus aduenis. LI. Sanè, nec tutum eſt nunc viatorem ire incomitatum. GEO. Agnoſco ſodalitium ſcholaſticum. Ecquid nouarum rerum adfers è Lutetia? LIVI. Illud in primis quod ſcio tibi videbitur incredibile. Lutetiæ Beta ſapit, & Quercus cõcionatur. G. Quid tu narras? LI. Hoc quod audis. GE. Quid ego audio? LI. Hoc quod narro. GE. Mõſtri ſimile. Oportet illic fungos & lapides eſſe auditores, vbi tales cõcionentur. LI. Atqui ſic res habet. Nec audita narro, ſed comperta. GE. Oportet illic plurimùm ſapere homines, ſi ſapit.

pir Beta & quercus. LI. Rectè coniectas. G. Valésner LI. Cõtemplare vultum. GE Quin magis lotium iubes? An me putas medicum? Non rogo, quid valeas (nam facies loquitur te bellè valere) sed quomodo tibi placeas. LIVI. Corpus quidem bellè habet, sed animo male est. GE. At non valet, qui isthac parte laborat. LI. Sic res habent meæ: corpus valet, sed ægrotat crumena. GEOR. Facilè isti morbo medebitur mater.

Percontandi de valetudine Formulæ.

Vt valuisti vsq;? Quomodo tandem vales? Vt vales? Quomodo tecum agitur? Satin' rectè vales? Vt se res habent tuæ? Saluáne res? Satin' salua res? Quid fit? Quid agitur? Fuistine semper prospera valetudine? Valuistine ex sententia? Ecquid vales.

RESPONSIO.

Dei gratia bene valeo. Feliciter valeo.
Optimè valeo, bellè, rectè, gratia Superis.
Ego Dei beneficio perpetuò bellissimè valui
Semper prospera vsus sum valetudine.
Hactenus bona valetudine fui.
Variè, vt sunt res mortalium.
Prosperrima, fausta, incolumi, felici.
Secũda, prospera, in' egra, basilica, athletica, Pancratica, semper fui valetudine.

Gratulatio de bona valetudine.

LI.

LIVINVS, GEORGIVS.

LIV. Faxint ſuperi, vt iſtuc ſit perpetuum ac proprium. Lætus iſtuc audio.
Voluptatem mihi nuntias.
Eſt iſthuc mihi auditu perquàm iucundum.
Sermonem iſtũ audire ex te vehementer gaudeo. Iſtuc haud inuitus audio.
Oppidò lætor iſthuc audire ex te.
Vtidẽ ſemper facias opto. Tibi gratulor, mihi gaudeo. Gratia Superis.
Gratiam habeo Superis.

ALIA.

GEOR. Quo pacto vales?

RESPONSIO.

LI. Rectè, pulchrè, bellè, perbellè, belliſsimè perpulchrè, feliciter, cõmodè, minimè malè.
Ex animi ſententia.
Valeo vt volo, potius quàm vt mereor.
Baſilicè, Pancraticè, athleticè. GE. Expectabam vt diceres etiam tauricè. Quid fit? Quid agitur? LI. Equidem nihil ago. Otium ago.
Id quod vides ago, nempe nihil.
Sedetur, ſtatur, legitur, ſcribitur.
Nihil fit, parum agitur.

MALE VALERE FORMVLAE.

Non admodum ex ſententia valeo.
Vtcunque valeo. Sic ſatis.
Vt poſſum, quando vt volo non licet.

Vt ſoleo. Ita vt Superis viſum eſt. Secus quã vellem. Vt ſolent, quibus cũ medicis res eſt. Haud ſanè cõmoda ſum valetudine: incõmoda, perquàm incommoda, infelici, aduerſa, parum proſpera, parum ſecũda, mala, infauſta, imbecilli, dubia, mediocri, alia quàm vellem. Qualem opto hoſtibus meis.

CONDOLENDI FORMVLAE.

Rem mihi ſanè quàm acerbam narras.
Vehementer doleo vicem tuam.
Dolet mihi infortunium tuum.
Sanè inuitus iſthuc ex te audio.
Prohibeant ſuperi. Auertat Deus.
Bona verba quæſo. Hîc cuipiam te vanũ eſſe.

CONSOLANDI FORMVLAE.

Bono ſis animo oportet.
Forti infractóque ſis animo.
Quando Superis ita viſum eſt, æquo animo ferendum quod ſors fert.
Ferendum eſt, non culpandum, quod mutari non poteſt.
Fulciendus interim eſt animus ſpe melioris fortunę. Multũ iuuat anim°, in re mala, bon°.

QVID MORBI EST? FORM.

Quod mali gen° eſt? Quis te morbus habet?
Quo morbo teneris? Quid morbi eſt?
Quid habes morbi?
Quis te tenet morbus? Nũ hydrops eſt?

Num

Num dyſenteria? Num febris?
Ad ſanitatem gradus eſt, nouiſſe morbum.

RESPONSIO.

Neſcio & hoc laboro periculoſius.
Negant eſſe febrim. Non eſt hydrops.
Opinor eſſe febris ſpeciem.

DE MORBO LATIVS, percontandi Formulæ.

Quampridem te habet hoc mali?
Diu eſt, quod teneris iſto morbo?
Quantū tēporis eſt, quod te hoc malum corripuit? Quandiu laboraſti illo morbo?
Quoto die recurrit dolor?

RESPONSIO.

Dies plus minus viginti.
Fermè menſis eſt. Iam tertius menſis eſt.
Mihi ſeculum videtur. Quotidie recurrit ſæpius quàm Euripus.

VNDE contraxiſti? FOR.

Vnde ſuſpicaris hoc collectum eſſe mali?
Qua ex cauſſa arbitraris te illum incidiſſe morbum? Vnde illum ortum ubi eſſe morbum cenſes?

RESPONSIO.

Ex inedia. E frigore natum arbitror.
E putridis ouis morbum ortum ſuſpicor.
E vino plus ſatis diluto.
E crudis malis, contracta eſt ſtomachi crudi

tas

tas. Ex potatione longiore.
Ex immodico & intempestiuo studio, hoc conciliatum videtur morbi.
GE. Quin accersis medicũ. LI. Timeo ne citius morbũ augeat, quàm adimat. Metuo ne pro remedio det venenum. GE. Deligendus est igitur, cui tutò fidas. LI. Si moriendum est malo semel mori, quàm tot pharmacis ex carnificari. G. Fac igitur, vt ipse tibi sis medicus. Si diffidis homini medico, precor vt sit tibi medici vice Deus. Nullósne cõsuluisti medicos? LI. Et quidem permultos. GE. Quid respondent? Id quod aduocati Demiphonis apud Comicũ. Alius negat, alius ait, alius deliberandum censet in hoc consentiunt omnes, me miserũ esse. GE. Sospitet te Christus Optimus Maximus. Precor, vt diuina beneficẽtia nobis quàmprimum restituaris incolumis. Faxint Superi, vt pristinam recipias valetudinem quàm celerrimè. Commendo te Christo medicorum optimo, vt quàm primum conualescas. Iam me tempus alió vocat, vale quàm optimè.

DE conuiuis inuitandis.

PETRVS CHRISTOPHORVS.

PE. Cœnabis hodie domi? Ch. Foris cœnaturus sum. Foris cœnandũ est mihi. PE. Apud quem?

quem? CHR. Apud ſocerum meũ, apud generum, apud nurũ meam, apud affinem meũ. PE. In craſtinum te ad cœnam voco. Cras vt mecum cœnes oro. Cras mecũ prandeas rogo. Cras te conuiuam mihi volo. CH. At vereor ne nõ licuerit. Vt poſſum metuo. Veniam ſi quidem licebit, at metuo ne non queã. PE. Cur non licebit? Quî ſic? Quid ita? Quã obrem? Quo pacto? Quid cauſſæ? Quid obſtiterit quo minus poſsis? CH. Tum quidem domi manẽdum mihi eſt. Vt domi nocte ſim neceſſe eſt. Tum certè, foris eſſe non licet. Cras mihi quoquam ire foras, liberum non erit. PE. Vel perendie, apud me ſis oportet. Saltem perendino die, ad cœnam venias neceſſe eſt. Quarto ab hinc die, non grauaberis te mihi præbere conuiuam. Die Iouis proximo, non potes effugere quin venias. CH. Promittere certò nequeo. Veniam, vbi vtriq; noſtrum videbitur cõmodiſsimum. Veniã quidem, at hac lege: vt tu poſtridie eius diei, viciſsim apud me cœnes. Faciam eo quidẽ pacto, vt tu deinde mihi quoq; ſis cõuiua. Spõdeo futurum. Recipio me facturum. Do fidẽ futurum hac quidem conditione, vt tu mecũ poſtridie prandeas. PE. Age, fiat. Eſto. Sit ita vt vis Si iubes, faciã. CH. Ego inſtructus accedam. Ego munitus veniã. Inſtructus mul-

ta

ta fame accedam, tu vide vt vulturem expleueris. Parabo ventrem, ac dentes exacuã: tu vide quibus modis lupũ exatures. PE. Age, ad hoc certamen te prouoco. Agè fac pro viribus, pro virili, si quid potes. CH. Veniam, sed non incomitatus. PE. Tanto venies gratior, sed quo omitte venies? Ch Vmbra. PE. Nec secus posis, si modo luce venies? C. Sed vmbram adducturus sum dẽtatam, vnam atq; alterã, ne tu me vocâris impune. PE. Age vt libet, modo ne laruas adducas. Sed explana si libet, quid sibi velit Vmbræ vocabulum. C. Apud eruditos Vmbræ vocantur, qui ipsi non vocati comitantur eũ qui vocatus est ad conuiuiũ. P. Talium vmbrarum adduc quantum voles. Age at caue ne me luseris. Caue fallas. Caue spẽ frustra foueam. Caue mihi verba dederis. Vide ne me vana spe lactes. C. Nihil opus iureiurando, in cæteris, in alijs time perfidiã, hac in re non fallam. Sed heus tu, caue ne quicq̃ paraueris præter quotidianã. Mea caussa, diem festum nolo. Scis me conuiuam minime edacem, bibacem multò minus. Nosti enim, me conuiuã non multi cibi, sed ioci plurimi. Pe. Curabitur diligẽter. Ego te Pythagorica cœna excipiã, aut fortasse frugaliore. C. Imo Diogenica, si me delectare voles. PET. Certe

Platonica cœna te excipiã, in qua multũ sit literarũ fabularũ, cibi minimũ: cuius voluptas, duret etiã in posterũ diẽ. CH. Placet, fiat vt mones PE. Tu vide omnes curas tuas, ac rugas etiã istas, domi relinquas. Huc præter nugas & risũ, nihil adferas. C. Ita fiet, exporrigemus frontem. Bellos homũculos agemus. Ridebimus affatim, curabimus cutem, indulgebimus genio. Epicureos agemus. Vocabis me per puerum tuum. Vbi voles, domi ero, Bene vale.

De cultu corporis, versiculi ex Ouidio.

Munditiæ placeant, fulcentur corpora campo:
Sit bene conueniens, & sine labe toga.
Linguaq; nec rigeat, careant rubigine dentes:
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec male deformet, rigidos tonsura capillos:
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineat, & sine fine sordibus vngues:
Inq; cura nullus stet tibi nare pilus.
Cape cibos digitis, est quoddam genus edendi:
Ora nec immunda tota perunge manu.
Néue diu præsume dapes, sed desine citra
Quam cupias, paulò quàm minus esse potest.

Precatio quum manè surrexeris, dicenda post confessionem peccatorum.

Quandoquidem tu cœlestis Pater, tum in cœlis, tum in terris vnus ille omnipotens Deus vbiq; gentium & locorũ es, & vsq; permanebis: Te ex animo supplicissime precor, ne finas vt in meã, neq; vt alij credentes in suã voluntatẽ, hunc diem cõuertamus,

neq;

neq; vt ad prauum arbitriũ noſtrũ prolabamur. Sed potius paternã tuã voluntatẽ, æternũ cõſiliũ, verbũ illud tuũ ſalutiferũ, tuumq; beneplacitum rectà intueamur, & veraci corde ꝓficiamus: quô nomẽ diuinum per nos miſeros peccatores, nunc & ſemp ſanctificetur, per filium tuum Ieſum Chriſtum. Amen.

CVRA, ET MORES MENSÆ.

Puer inſterne menſã, eſt enim tempus prandij, vel prandio.

Hora eſt cœnandi, vel cœnæ.

Expande igitur primum in menſa, mappam menſalem. Hinc panes menſæ, imponito.

Poſtea affer orbes. Porrige cultros. Appone ſalinũ, & corbem cochleariam.

Apta circulum. Elue calices.

Da mappas manuarias: & in patina aquam recentem ad lauandas manus.

Aut miniſtra aquam ex gũtto, linteo ex humeris ſuſpenſo, dum omnes lauerint.

Hinc diſcũbentibus conuiuis, affer è culina epulas. Appoſito cibo, ſtans verecunde & honeſte cõplicatis manibus ante mẽſi: fũgere tuo officio, & cõſecra cœnã vel prãdiũ.

PRECATIO ANTE cibum ſumendum.

Nos miſeri & egentes homines pro hoc cibo, quem nobis ad alimoniam corporis ſanctificatum, es largitus, vt eo vtamur grati: tibi Deus omnipotens Pater cœleſtis, gratias reuerenter agimus.

simul obsecrantes, vt cibum angelorum, verum panem cœlestem, verbum Dei æternum Dominum nostrum Iesum Christū nobis impertiaris: vt illo mēs nostra pascatur, per carnem & sanguinem eius foueamur, alamur, & corrobemur, Amen.

CONSECRATIO MENSÆ.

His epulis, donisq; tuis, benedicito Christe:
Vt foueant iussu corpora fessa tuo.
Non alit in fragili panis modo corpore vitam,
Sermo tuus vite tempora longa facit.

ALIA EX PSAL.

Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam ipsorum in tēpore opportuno. Aperis tu manum tuā, & imples omne animal benedictione, Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. &c. Oremus.

Benedic nos Domine Deus pater noster cœlestis, & hæc dona quę de tua largitate sumimus, per Iesū Christum dominū nostrum. Amen,

ALIA ERASMI.

Quicquid appositum est & quicquid apponent, felix & sacrū esse iubeat, qui sua benignitate pascit vniuersa. Amen.

Alia Hermani Buschij.

Quæ nunc sumemus membris alimenta caducis.
Hæc, Deus, imperio sint benedicta tuo.

Benedictio mensæ ante degustationem.

Christe Deus benedic cibum & potum seruorum tuorum, quoniam sanctus es iugiter, nunc & semp & in secula. &c. Amen.

Posthæc,

Posthæc, si ministerio tuo opus est, fac sedulus sis apud mensam Erectus & verecundus ad mensam stato. Vultu modesto, non impudicè ad mensam versato. Oculos non hinc inde cõijcias, sed mensæ aduertito. diligenter animaduertito si quid desit in mensa, vtpote panes, potus, epulę, orbes, quadræ. Si quid erit adferendum, id expeditius agas, ne moreris eundo. Breuiter ad omnia promptus, facilis, hilaris, & paratus esto. Vbi vero ministerio tuo opus non fuerit, & discũbendum tibi sit, fac primum:
Vngues purgatos habeas. Hinc man' laues.
Post consecrationem autem, mense decẽter accumbe.

Erectus sede. Cubito ne te fulcias.
Nec pandas brachia. Primus ne esto esu.
Cibos cape digitis,
Nec conde vola. Proxima tibi cape.
In orbe ne morare. Nec mande auide
Nec primus bibe. Nec bibe auide.
Bibiturus os terge: non manu, sed mappula.
Alios ne inspicito. Morsa ne redintinge.
Nec linge digitos, Nec ossa rode.
Quæque scinde cultro.
Os non perungas. Digitos sæpe terge.
Nares ne fode. Non rogatus tace.
Quod satis est, ede. Quum satur es, surge.

Rursus manus laua. Mensalia tolle.
Reliquias & fragmenta, diligenter collige.
Quæque in suum locum repone.
Hinc Deo gratias age.

GRATIARVM actio post mensam.

Postquam epulis exempta fames, mensæq; remotæ:
Dicemus grates nos tibi, summe Pater.
Non hæc, humanas vires, alimenta iuuabunt:
Diuina, si non hæc foueantur, ope.
Namque tuo viuunt agitata à numine cuncta,
Afflatu spirant cuncta valentque tuo.
Nunc etiam gratis animis alimenta ministra,
Atque immortali pectora pasce cibo.
Et quia cura sumus tua, nos Pater optime serua:
Et studia, & vitę tempora cuncta rege.
Quumq; epulas dederis, rerũ Pater optime, nobis:
Adde epulis vires, pro bonitate tua.

ALIA EX PSAL.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniã in æternum misericordia eius. Qui dat escã omni carni: qui dat iumentis escam ipsorũ, & pullis coruorũ inuocantibus eum. Nõ in fortitudine equi, voluntatem habebit: neq; in tibiis viri beneplacitum erit ei, Beneplacitum est Domino super timẽtes eum: & in eis qui sperant super misericordia eiꝰ. Gloria patri. Sicut erat &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Gratias agimꝰ tibi, Domine Deus Pater noster cœlestis, per Iesum Christum Dominũ nostrũ, pro vniuersis donis ac beneficiis tuis, qui viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum Amen. ALIA.

Qui nos creauit, redemit & pauit, benedictus sit in æternum. Amen. ALIA.

Quod

Quod ſumus vtilibus dapibus, potuque refecti,
Laus tibi pro donis, ſit Deus alme, tuis.

GRATIARVM actio menſæ.

Gratias agimus tibi omnipotens Deus, pro omnibus beneficiis tuis, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Poſt cibum precatio.

Quandoquidē nos Domine, donis tuis omnipotens, & miſericors Deus exatiaſti: effice vt poſthac, quid per nos fieri aut ſecus velis, diligenter obſeruemus, atque illud animo ſyncero effectū præſtemus. Per Ieſum Chriſtum. Amen.

Quum adfers potum, conſecrandi Form.

Ecce vinum. Hoc vinum vobis fauſtum ſit. Hoc vinum læti bibite. Cereuiſia hæc ſaluti ſit vobis omnibus. Bono ſit potus iſte.

RESPONSIO.

Agimus tibi gratias. Gratias deo. Adſit Deꝰ.

Propinandi Formulæ.

Ebibetis ordine ſuum quiſque calicem.
Ego tibi hoc primum propino Mida,
Tu deinde cæteris propina.
Præbibo tibi dimidiatum cyphum.

RESPONSIO.

Accipio abste libēter. Equidēnihil recuſabo
Proſit tibi: Nil tua cauſſa recuſabo. Sit ſaluti.
Precor vt ſit tibi bono. Sit tibi bonum atq; commodum.

Gratias agendi conuiuis Form.

Habeo vobis hoſpites cādidiſsimi gratiā, qui ad hoc conuiuiolum venire dignati ſitis. Gratiā habeo, qui dignatus ſis noſtro adeſſe

conuiuio. Ego habeo vobis gratiã, quod noſtram exilitatem boni conſulitis.

RESPONSIO.

Ego pariter tibi, & meo & aliorum nomine, gratias ago, quòd tua humanitate, ad hoc cõuiuium longe ſuauiſsimum, nos vocâris.

Valete ſodales optimi, Bibite nõ ſegniter, & viuite ſuauiter.

Precatio dum abis cubitum.

Tibi Domine Deus, animam ac vitam meã commendo, Vt in Chriſto, qui eſt vita & reſurrectio noſtra, ab æterna morte me defendas: átq; vt ipſe, qui vera lux eſt, ſplendorem gratiæ tuæ, in corda noſtra tenebroſa perfundat. Amen.

Pro docilitate.

Audi preces meas, æternę patris ſapiẽtia Domine Ieſu, qui teneræ ætati docilitatis commodum addidiſti. Adde quæſo ad naturæ propenſionem, auxiliũ gratiæ tuæ: vt literas ac liberales diſciplinas citius perdiſcam, ſed tuæ gloriæ ſeruituras: quarum adminiculis adiuta mens mea, plenius aſſequatur cognitionem tui, quem noſſe felicitatis humanæ ſumma eſt. Vtq; ad tuæ ſanctiſsimæ pueritiæ exẽplũ, indies proficiam ætate, ſapientia & gratia, apud Deum & apud homines. Qui viuis & regnas, in conſortio Patris ac Spiritus ſancti, in æterna ſęcula. Amen.

Pro docilitate pietatis.

Seruus tuus ego ſum, da mihi intellectum Domine, vt diſcam mandata tua. Quoniam lex tua immaculata conuertens animas ſapientiam pręſtans paruulis. Iuſtitiæ tuæ rectæ, letificãtes corda. Præceptũ

tuum

tuum lucidũ, illuminans oculos, Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Quoniam tu Domine das ſapientiam, & ex ore tuo prudentia & ſcientia.

Percontandi reducem Formulæ.

Georgius Liuinus.

GE. Fuítne hoc iter, tibi fauſtum & commodum? LI. Sic ſatis, niſi quòd nihil vſquam tutum eſt à latronibus. GE. Hic eſt belli ludus. LI. Eſt, ſed ſceleratiſsimus. GE. Pedes aduenis an eques? LI. Partĩ pedeſtri itinere, partim vehiculo, partim equo, partim nauigio. GE. Tuæ res, quo tãdem in ſtatu ſunt? LI. In optimo, felici, mediocri tolerabili. GE. Quo pacto ſe res habent tuæ? Num ex voto? LI. Imo ſupra votum, ſupra meritum, ſupra ſpẽ. GEOR. Satin' ex ſententia? Satin' ſalua omnia? Satiſne proſpera omnia? LI. Res in peiore ſtatu eſſe non poteſt. Peiore in loco negotium non poteſt eſſe. GEO. Non cepiſti igitur, quod captabas? Non cõtingit prẽda, quã venabaris? LI. Venabar equidem, ſed irata Delia. G Nihil reliquũ eſt ſpei? LI. Spei permultũ, ſed rei nihil. G. Epiſcopus nihil oſtẽdit ſpei? Li. Tota plauſtra totas naues, ſed prẽterea nihil. Ge. Nihil adhuc miſit? Li. Promiſit quidem largiter, ſed ne terunrium quidẽ miſit. GE. Ergo ſpe alendus eſt animus. LI. Sed hac non ſaginatur vẽter. Qui ſpe alun-

tur,

tur, pendent, non viuũt. GE. Sed hoc eras ad iter expeditior, quod nihil esset oneris in zona. LI. Fateor, atq; etiá tutior. Nulla enim sũt arma certiora, aduersus latrones. Sed ego malĩ, & onus & periculũ. GE. Nihil ne tibi adẽptũ est in via? LI Mihine? Quid quæso eripias nudo? aliis citius periculũ erat à me. Licuit mihi vacuo viatori, per totñ iter canere & esurire Nunquid vis? GE. Quo nũc hinc abis? LI. Rectâ domum, salutaturus penates, iam diu non visos. GE. Precor vt illic omnia offendas læta. LI. Vtinam id velint Superi.

ALIA. PERSONÆ.

Mauritius. Cyprianus.

MAV. Rediſti nobis obeſior ſolito. Rediſti procerior. Cy. At equidem mallẽ prudẽtior, aut doctior. MAV. Imberbis abieras, rediſti barbatulus. Contraxiſti tibi abſens non nihil ſenij. Quid ſibi vult hic pallor? Quid macies? Quid frons capetata? CY. Vt eſt fortuna, ſic eſt corporis habitus. MAV. Num aduerſa? Cy. Nunquam quidẽ mihi alias ſecunda, ſed nunq̃ quam nunc odioſius reflauit. MAV. Doleo vicem tuã, dolet mihi tua calamitas. Sed quid iſthuc mali eſt? Cy. Vniuerſæ pecuniæ naufragiũ feci. MAV. In mari? Cy. Non ſed in littore, nõdum nauẽ ingreſſus. M. Vbinã. Cy. In littore Britãnico. MAV. Bene habet,

bet, qđ ipſe nobis viu⁹ enataſti. Preſtat pecuniæ iacturã facere, quã vitæ. Leuius eſt pecunię diſpendium, quã famæ. Cy. Vita famaq́; incolumi, perijt pecunia. MAV. Vita ſarciri nullo pacto poteſt, fama ęgrè poteſt, pecunia facile alicũde ſarcietur. Quî malum hoc accidit? Cy. Neſcio, niſi quòd ſic erat in fatis meis. Sic viſum eſt Superis. Sic libuit Genio meo malo. MAV. Vides igitur, doctrinã ac virtutẽ tutiſsimas eſſe diuitias, quæ nec eripi poſſunt, nec grauant circunferentem. Cy. Pulchrè tu quidem philoſopharis, ſed interim ego ringor.

ALIA Perſonę.

Claudius, Balbus.

CL. Gratulor tibi reduci Balbe BAL. Et ego tibi ſuperſtiti Claudi. CL. Gratulor tibi in patriam reuerſo. BAL. Imo gratulare magis, è Gallia profugo, CL. Quid ita? BAL. Quia illic bellis feruent omnia. CL. Quid muſis cum Marte. BAL. Atqui illic ne Muſis quidem parcitur. CL. Tu igitur feliciter elapſus es. BA. At nõ ſine periculo. CL. Totus alius nobis rediſti. BA. Qui ſic? CL. Ex Hollãdo verſus es in Gallum. BA. Quid? an capus erã, quum hinc abirem? C. Veſtis indicat te mutatũ eſſe ex Batauo in Gallũ. B. Hãc metamorphoſin malim, quã in gallinã. Sed vt cucul-la nõ facit monachũ, ita nec veſtis Gallũ. C.

Iamne

iam ne caries Gallicè. BA. Sic satis. C. Quo pacto didiciſti? BAL. A magiſtris haud quaquam mutis. CL. Quibus? B. A mulierculis quouis turturè loquatioribus. C. In tali ludo facile diſcimus loqui. Sonàs ne probè ſermonem Gallicum? B. Imo & Latinum ſono Gallicè. CL. Nunquam igitur ſcribes bona carmina. B. Quur ita? CL. Quia perijt tibi ſyllabarum quantitas. B. Mihi ſatis eſt qualitas. CL. Quid? èſtne Lutetia immunis à peſtilentia? B. Non eſt, ſed perpetua non eſt. aliquando remittit ſeſe, mox recrudeſcit: nõnunquam intermittitur, deinde recipit ſeſe. CL. Non fat erat malorum, vbi bellum eſt? B. Erat, niſi ſecus eſſet viſũ ſuperis. CL. Annonæ charitatem iſthic eſſe oportet. BAL. Imo penuriam, omnium rerum illic inopia eſt, præterquam ſceleratorum militum. Bonorum virorum illic mira vilitas. CL. Quid accidit Gallis, vt bellũ ſuſcipiant cum Aquila? B. Quia monet illos exemplũ ſcarabæi, qui non ceſsit Aquilæ. In bello, nemo ſibi nonvidetur Hercules. CL. Non te remorabor diutius. Alias latius nugabimur, quum erit vtriq; commodum. Nunc alio me vocãt negotiola quædam.

Domeſtica confabulatio. Perſonæ.
Petrus, Mida puer, Iodocus.

PE.

PE. Heus heus puer, nemòn huc prodit? Mi. Hic opinor effringet fores. Familiarē oportet esse. O lepidū caput. Quid adfers mi Petre? P. Meipsum M. Næ tu rem haud magni pretij huc attulisti. PE. Atqui magno constiti patri meo. MI. Credo, plures quam reuendi possis. PE. Sed Iodocus est ne domi? MI. Incertus sum, sed visā. Quin tu potius abi, & roga ipsum an velit nunc esse domi. Abi tu potius sisq; tibi ipse Mercurius. PE. Heus Iodoce, num es domi? IOD. Non sum. PE. Impudens, non ego audio te loquentē? IO. Imo tu impudentior. Nuper ancillæ tuæ credidi te non esse domi, & tu non credis mihi ipsi? PE. Aequum dicis. Par pari relatū IO. Equidem vt non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi: tibi posthac semper ero PE. Sed tu mihi videre cochleæ vitam agere. Io. Qui sic? PE. Quia perpetuo domi latitas, nec vlque prorepis. Non secus atq; claudus sutor, iugiter domi desides. Tu tibi domi situm contrahis. IO. Est quod agam domi, foris nhil est negotij. Et si quid esset, tamē hoc cœlum, me dies aliquot a publico cohibuisset. PE. At nunc sudum est, & inuitat ad deambulandum. Vide vt blanditur. IO. Si pro deambulare lubet, non recuso. PE. Plane videtur hoc vtendum cœlo. IO. Ascisendus

est

est vnus aut alter congerro. PE. Fiet, modò dicas quos velis. IOD. Quid si Hugonem? PE. Haud multum interest inter Hugonem & Nugonem. IO. Agè, placet. PE. Quid si Alardum? IO Homo minimè mutus est: quod auribus diminutũ est, lingua pẽsat. PE. Si vicetur, Neuium adiungemus. IOD. Siquidem dabitur illius copia, nunquam erit fabularum inopia. Placent cõfabulones, superest vt locum despicias amœnum. P. Ego vero tibi locum ostendã, vbi nec nemoris vmbrã, nec pratorum smaragdinũ virorum, nec fõtium viuas scatebras desiderabis: dices dignã Musis sedem. IO. Magnifice polliceris. PE. Nimiũ affixus es libris. Nimium assides libris. Immodico studio te maceras. IO. Malim studio macrescere, quã amore. P. At non ideo viuimus, vt studeamus: sed ideo studemus, vt suauiter viuamus. IOD. Mihi verò vel immori chartis dulce est. P. Equidem immorari probo: immori non probo. Ecquid voluptati fuit hæc deambulatio? IOD. Me quidem vehementer oblectauit.

ALIA Personæ.

ÆGIDIVS. LEONARDVS.

AEG. Quo noster Leonardus? LEO. Ad te ibam AE. Istud quidem facis insolens. L E. Quã ob rem? AE. Quia iã annus est, qđ nos

non

non viseris. Malo in hanc peccare partẽ, vt desiderer, quàm vt obtunda. AE. Imo boni amici nulla est apud me satietas. Imo quo crebrius venies, hoc mihi venies gratior. L. Quid interim agitur domi tuæ? AE. Multa sane quæ nolim. L Non miror. Sed quid rerum gerunt filij? AE. Natu maximus iam dudum maritus est, breui pater futurus. Minimum oblegaui Lutetiã: Nam hic nihil aliud quã ludebat. L. Quid eo? AE. Vt magister nobis redeat stultior, q̃ exierat L. Bona verba. AE. Medius iam cœpit initiari sacris. L. Precor vt bene vertat omnibus.

ALIA. Personæ,

MOPSVS, DROMO.

MO. Quid sit? Quid agitur Dromo? D. Sedetur. M. Video, sed quomodo se res habẽt tuę? D. Vt solet ijs quibus superi sunt parum propitij. M. Isthuc omnis auertat Deus Quid agis? D. Equidẽ otiũ ago. id quod vides, nimirũ nihil. M. Prę̃stat otiosũ esse q̃ nihil agere, ego te fortasis occupatũ seriis negotijs ĩterpello. D. Imo maxime vacuũ. Iã enim me cœperat otij tediũ & congerronẽ desidetabam. Mo. Fortasis impedio, interrũpo, interturbo tua negotia. D. Imo tædium otij discutis. M. Da veniam si te parum in tempore interpellarim. DR. Imo in ipso tempore aduenis.

Opor-

Opportune te huc attuliſti. Optatus ades. Interuentus tuus eſt mihi vehementer gratus. M. Fortaſsis aliquid ſeriæ rei inter vos agitur cui nolim eſſe impedimento. D. Imò lupus (quod aiunt) ades in fabula: nam de te ſermo erat. MO. Facile crediderim, nam mihi huc venienti, mire tinniebat auris. DR. Vtrat Mo. Læua. Vnde conijcio nihil magnifice de me fuiſſe predicatum. DR. Imo nonnihil honorificum. MO. Vanũ igitur fuerit oportet. Sed qũid eſt bonæ rei? D. Aiunt te venatorẽ eſſe factum. MO. Imo iam intrá caſſes meos eſt prẽda, quã venabar. DR Quænã eſt. Mo. Lepida puella, quam perendie ducturus ſũ. Vosq; oro, vt meas nuptias veſtra præſẽtia dignemini honeſtare. DR. Quænã eſt ſpõſa. MO. Aloiſia Chremetis filia. DR. Egregium ſpectatorem formarũ. Tuis oculis adlubuit illa, nigro capillitio, ſimis naribus, ore prælargo, ventre prominulo. MO. Deſinite, mihi eam duxi, non vobis: non ſat eſt, quod ſuo regi pulchra eſt regina? Ita demum illa mihi placebit, ſi vobis non admodũ placeat.

ALIA.

Syrus. Geta.

SY. Opto tibi multam felicitatẽ. GE. Et ego tibi cõduplicatũ opto, quicquid optas mihi. Sy. Quid agis rei? GE. Cõfabulor. Sy. Quid, confa-

cõfabulare ſolus? GE. Vt vides SY. Fortaſſe tecũ: proinde tibi vigilandũ vt cũ homine probo fabuleris. GE. Imo cũ lepidiſsimo cõgerrone cõfabulor. Sy. Quo? GE. Apuleio. Sy. Illud quidẽ nunq̃ non facis: ſed amant alterna camenæ. Tu perpetuò ſtudes. G. Non eſt vlla ſtudiorũ ſatietas. S. Verum, ſed tamẽ eſt modus quidam. Nõ omnẽ tẽpus quidẽ ſunt ſtudia, ſed tamen intermittenda nonnunq̃. Nõ abijcienda ſunt, ſed relaxanda. Nihil ſuaue, quod perpetuũ Voluptates cõmendat rarior vſus. Tu nihil aliud q̃ ſtudes. Nunquã nõ ſtudes. Cõtinenter incũbis literis. Indeſinenter inhæres chartis. Studes noctes & dies. Nullum facis ſtudendi finẽ neq; modũ. Age tuo more facis: rides me, vt ſoles. Nunc ludis tu quidẽ me. Salſe me rides. Satyricũ agis Naſo me ſuſpendis adunco. Non me fallit tuũ ſcõma. Nunc me ludos delitiasq; facis. Pro dolor tamẽto me habes. Nũc plane ioco meũ agis. Rideor abs te. Eadẽ opera aſſue mihi auriculas aſini. Ipſi codices puluere ſituq́; obducti, loquũtur q̃ ſim īmodicꝰ ī ſtudio. S. Emoriar ni loquor ex animo. Diſpeã ſi quid fĩgo. Loquor id qđ ſẽtio, qđ res eſt dico. Seriò loquor. Ex aĩo loquor. Nõ ſecꝰ ſẽtio, q̃ loquor

Quur non viſis nos? FOR.

LI. Quid cauſſę quod tã diu nos non īnui

ſeris? Quid rei eſt, q̃ nos tã rarò viſis? Quare tã rarus es ſalutator? Quid accidit? Quid ſibi vult? Quid obſtitit quo minus feceris nobis tui vidẽdi copiam. Quid impedimento fuit.

NON LICVIT per occupationes.

S. Nõ licuit per otium. Volui quidem, at nõ licuit mihi per mea negotia. Hactenus nõ ſinebant negotia, vt te v.ſerem. Occupatior fui quàm vt potuerim. Vix ipſi mihi fuit copia mei, prę moleſtis negotiis. Non defuit volũtas, ſed vetuit neceſsitas. Nõ licuit p valetudinẽ. G. Equidẽ accipio tuã excuſationẽ ſed hac lege, ne ſępius vtaris. Excuſatio tua iuſtior eſt quã vellẽ, ſiquidẽ valetudo in cauſa fuit. Hac lege mihi purgat⁹ eris, ſi quod factũ eſt, officio ſarcias. Si ſuperiorẽ ceſſationẽ crebra viſitatiõe pẽſes. S. Amicitia noſtra grauior eſt, quàm vt ſit tã vulgarib⁹ officiis alẽda Satis crebrò viſit q cõſtãter amat. G. Malè ſit iſtis curis, quę te nobis adimũt. Quid ĩprecer iſtis negotiis, quę talẽ amicũ nobis inuidẽt peſsimè ſit iſti febri quę nos tã graui deſiderio torſit tui. Malè peat iſta febris, te incolumi.

Mandandi ac pollicendi Formulæ.

IACOBVS. SAPIDVS.

IA. Quęſo vt hęc res tibi cordi ſit. Etiã atq; etiã rogo, vt hoc negotiũ tibi curę ſit. Si me amas, cauſsã hãc tractabis diligẽter. S. Deſine

ego

ego tibi hoc effectū reddā, et quidē ꝓpediem Curabo diligētius, quàm si mea res ageretur Tu in vtramuis dormias aurem, ego tibi hoc confectum dabo. Tu quietus esto, in me recipio prouinciā omnē. Gaudeo mihi datā occasionē, quā declarē meū in te animū. Equidē oratione nihil polliceor: sed te prēstabo, quicquid est amici synceri, & ex animo benevolentis. Nolim te lactare vana spe.

SVCCESSVS.

SA. Res successit opinione melius. Fortuna votis vtrinsq; fauit. Res tua & vētis & amne secūdo ꝓcessit. Si fortuna nupsisset tibi, non potuisses esse secūdior. Plus impetraui, quàm fuisse ausus petere. Res omnis cecidit ex sententia. Pulchrè nobis cecidit hęc alea. Noctua volauit.

GRATIA.

IA. Equidē gratiam habeo, & habiturus sum quoad viuā maximā Pro isto tuo in me officio, pares agere gratias vix possim, referre ne quaq̄. Amo te plurimùm. Et habetur à me tibi gratia, & habebitur semper. Habeo gratiā, ꝙ meum tibi negotiū cordi fuit Plus tibi debeo, q̄ vt vn quā soluēdo esse possim Arctius me obligasti, quàm vt ex diario tuo vnquā nomen meū expungere queā. Hac re, me tibi deuinctiorē reddidisti, quā vt vnquā æs alienū persoluere possim.

RESPONSIO.

S. Auferistia, maior est nr̄a necessitudo, q̄ vt

vel tu mihi, vel ego tibi pro vllo officio, debe am gratias agere. Nō cōtuli in te hoc officiū, ſed retuli. Sed benefacit, q̄ bene facit amico. Videor mihi beneficiū accepiſſe, cū noſtrū of ficiū boni cōſulis. Qui bene meretur de ami co, non dat beneficiū, ſed fœnerat. Si ex ani mo probas officium in te meum, fac ſæpius vtâre. Ita credam tibi gratum eſſe quod feci, ſi quoties deſiderabis operā meam, non ro ges, ſed imperes quod velis.

HERILIA. RABINVS, SYRVS.

RA. Heus heus furcifer, iādudū rauceſco cla more, nec tu tamē expgiſceris: videre mihi vel cū gliribus certare poſſe. Aut oci° ſurge aut ego tibi fuſte ſomnū iſtū excutiā. Quādo crapulā heſternā edormieris? Non te pudet ſomniū hominis, in multā lucē ſtertere. Qui frugi ſunt famuli, ſolēt exortū ſolis anteuer tere, curareq̄; vt herus ſurgēs, reperiat oīa pa rata. Vt ęgre diuellitur á nido tepefacto cucu lus. Dū ſcalpit caput, dū diſtēdit neruos dū oſcitat, tota abit hora. S. vix dū diluxit. R, cre do tibi, nā tuis oculis adhuc multa nox eſt, ti bi nox adhuc eſt concubia S. Quid me iubes facere? R. Fac vt luceat toculus, verre pileum ac pulliū, exerge calceos & crepidas. Inuer ſas calligas, primùm intus purga ſcopis, mox foris: deinde ſuffitum aliquem facito purgā-

do

do aëri. Accẽde lucernã. Muta mihi lineũ in duſiũ, ac ſicca lotũ. SY Fiet. RA. Atqui moue te ocyus, iã hæc feciſſe oportuit. Sy. Moueo. RA. Video, ſed nihil promoues. Vt ĩcedit teſtudo. Sy. Non poſſum ſimul ſorbere & flare. RA Etiã ſententias loqueris carnifex? Tolle matulã, cõpone lectiſtragulas, reuolue cortinas: Verre pauimẽtũ: Verre ſolum cubiculi: Adfer aquã lauandis manibus. Quid ceſſas aſine? Annus eſt, priuſquam accendas candelam. S, Vix reperioſcintillam ignis. R. Sic heri cõdidiſti. Sy. Nec follem habeo. R. Vt reſponſat nebulo: quaſi qui te habeat, careat folle. S. Quã imperioſum habeo dominũ. Vix huius iuſsis, decem expediti famuli fecerint ſatis. RA. Quid ais ceſſator? Sy. Nihil, omnia rectè. RA. Non ego te audio obmurmurãtẽ. Sy. Equidẽ precor. RA. Credo Pater noſter inuerſum: precationem opinor Dominicã præpoſtere. Quid gãnis de imperio? Sy. Precor tibi, vt fias imperator. RA. Et ego tibi, vt fias homo ex caudice. Sequere me ad templum vſq; : mox domum recurrito lectos concinnato. Hãc cõfuſa, ſuo quæq; loco degerito: fac vt niteat tota dom⁹. Motulã defricato: hæc ſordida ſubmoneto ab oculis. fortaſsis inuiſent me quidam aulici. Siquidẽ ſero prętermiſſum, vapulabis largiter. Sy. Sic

sanę:noui benignitatem tuam. RA Proinde caue si sapis. Sy. At interim de prandio nulla mētio. RA. Vah, vt hic mentem habet furcifer. Non prandeo domi. Itaq; sub horam decimā ad me trāscurrito, deducturus mē eò, vbi sum pransurus. SY. Tibi quidem prospectum, sed hic interim nihil est, quod edam. RA. Si non est quod edas, est quod esurias. SY Nemo fit esuriendo satur. RA Est panis. SY. Est, sed ater & furfurace⁹ R. Delicias hominis: te quidem fœnū esse oportuit, si pabulum detur te dignū. An postulas vt te āsinū tantum placentis saginem? Si fastidis panem citra obsoniū, adde porrū: aut si mauis, cepe.

ALIA.

RA Est tibi abeundum in forum. Sy. Tā procul? RA. Nō sunt nisi sex passus Tibi pigro sūt bis mille. Consulam autem tuæ pigritię. Eadē legatione multa conficies negotia: Tu suppura ī digitos, vt memineris. Primùm flectes ad vestiariū, ac thoracem vndulatū, si iam perfectus est, ab eo recipies. Hinc quęres Cornelium veredariū. Is plerumq; est in Ceruo, ibi poritat. Rogabis si quid habet literarum ad me, & ad quē diem sit profecturus. Deinde cōuenies mercatorem pannariū, rogabis meis verbis, ne quid solicitus sit, quòd pecuniam nō miserim ad diem pręscriptum:

numerabitur propediem. Sy. Quando, ad calendas Græcas? RA. Rides ganeo: imò ante calendas Martias. In reditu deflectes ad leuā & ex Bibliopolis disces, siquid aduectum sit nouorum libellorū è Germania. Cognosce qui sunt, & quanti venales. Post hæc rogabis Goclenium, vt mihi dignetur esse cōuiua, alioqui cœnaturo soli. Sy. Etiam conuiuas vocas? nō habes domi vnde vel murem pascas. RA. Proinde tu confectis cæteris, ito ad macellum, & eme uobis armum ouillū: eum curabis eleganter assum. Audin' hęc? Sy. Plura quàm vellē. RA. At vide, vt memineris. Sy. Vix potero dimidiū. RA. Etiam hîc ítas cessator? Iam rediisse oportuit. Sy. Quis possit tot rebus obeūdis sufficere? Deduco ac reduco. Sum illi à scopis, à matula, à pedib', à manibus, à poculis, à libellis, à rationibus, à iurgiis, à legationibus. Postremò non videor illi sat occupatus, nisi sim & coquus.

ALIA.

RA. Profer ocreas, nam equitandum est. Sy. En adsunt. RA. Probè quidem abs te curatæ, totæ albēt situ. Opinor nec extersas, nec vnctas hoc anno, adeò rigēt prę siccitate. Exterge subuuido panno, mox vnge ad ignem diligenter, ac macera donec mollescāt. Sy. Curabitur. R. Vbi calcaria? S. Adsunt. RA. Verum

sed obducta rubigine. Vbi frenū & ephippia? SY. Sunt in prompru. R. Vide ne quid desit, aut ne quid ruptum aut mox rumpendū: ne: quid nobis sit in mora cùm erimus in cursu. Propera ad sellarium, & hoc lorum cura sarciendū. Reuersus, inspice soleas siue calceos equorum, num qui claui desint aut vacillēt. Quam macilenti sunt equi, quamq; strigosi? Quoties abstergis aut pectis illos in anno? Sy. Imo quotidie. R. Nimirū res ipsa loquitur. Ieiunant opinor nonnunquam totū triduum Sy. Minime. R. Negas tu quidem, sed aliud dicturi sint equi, si loqui liceat: Quanquam taris loquatur ipsa macie. Sy. Curo sedulo. R. Cur igitur tuhabitior equis? S. Quia nō pascor fœno. R. Hoc igitur restat. Adorna manticam celeriter. Sy. Fiet.

MONITORIA.

Pædagogus. Puer.

Tu mihi videre non in aula natus, sed in caula: adeò morib⁹ es agrestib⁹. Puerum ingenuū decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quispiam cui debes honorem, cōpone te in rectum corporis statum, aperi caput. Vultus sit nec tristis, nec toruus, nec impudens, nec poteruus, nec instabilis, sed hilari modestia temperatus. Oculi verecundi, semper intēti in eum cui loqueris, iuncti pedes,

des, quietæ manus. Nec vacilles alternis tibiis nec sint gesticulosæ manus, nec mordeto labrum, nec scabito caput, nec fodito aures. Vestis item ad decorum componatur, vt totus cultus, vultus, gestus, & habitus corporis, ingenuam modestiam & verecundum indolem præ se ferat. PVER. Quid sic mediter? PAE. Fac. PV. Siccine satis? PAE. Nondũ. PV. Quid si sic? PAE. Propemodũ. PVE. Quid si sic? PAE. Hem, satis est, istuc tene. Ne sis inepte loquax, aut præceps Nec vagetur animus interim: sed sis attentus, quid ille dicat. Si quid erit respondendum, id facito paucis ac prudenter: subinde præfatus honorem. Nonnunquam & addito cognomento, honoris gratia. Atq; identidem modice flectas alterum genu: præsertim vbi responsum absolueris. Nec abeas nisi præfatus veniam, aut ab ipse dimissus. Nũc age specimen aliquod huius rei nobis præbe. Quantum temporis abfuisti à maternis ædibus? P. Iam fermè sex menses. PAED. Addendum erat, domine. PV. Iam sex fermè menses domine. PAE. Non tangeris desiderio matris? PV. Nonnunquam sane PAE Cupis eam reuisere? Cupio domine, si id pace liceat tua. PAE Nunc flectendum erat genu. Bene habet, si pergito. Quum loqueris, caue ne præcipites

cipites ſermonem, aut hæſites lingua, aut palato immurmures: ſed diſtinctè, clarè, articulatè conſueſcito proferre verba tua. Si quem præteribis natu grandem, magiſtrum, ſacerdotem, doctorem aut alioqui virum grauem memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Itidem facito quum præteribis ædem ſacram, aut imagmem crucis. In conuiuio ſic te præbebis hilarem, vt ſemper memineris quid deceat ætatem tuam. Poſtremus omniũ admoueto manum patinæ. Si quid datur lautius, recuſato modeſtè: ſi inſtabitur accipe, & age gratias. Mox decerpta portiuncula, quod reliquum eſt, illi reddito: aut alicui proximo accumbẽti. Si quis præbibet, hilariter illi precare, ſed ipſe bibito modicè. Si nõ ſitis, tamẽ admoueto cyatum labiis. Arride loquẽtibus ipſene quid loquaris, niſi rogatus. Si quid ob ſcœni dicetur, ne arride, ſed compone vultũ, quaſi nõ intelligas. Ne cui obtrectato, ne cui temet anteponito, ne tua iactato, ne aliena deſpicito. Eſto comis, etiã ergà tenuis fortunæ ſodales. Neminem deferto. Ne ſis lingua futili, Ita fiet vt ſine inuidia laudem inuenias, et amicos pares. Si videris conuiuium eſſe prolixius, precatus veniã, ac ſalutaris cõuiuis, ſubducito te à menſa. Vide vt horum memineris. PVE. Dabitur opera mi præceptor. Nunquid

quid aliud vis? PAE. Adito nunc libros tuos PV. Fict.

DE LVSV.

Nicolaus, Hieronymus, Cocles, Pædagogus.

NICO. Iam dudum & animus, & cœlum, & dies inuitat ad ludendum. Hie. Inuitant quidem hæc omnia, sed solus præceptor non inuitat. NI Subornandus orator quispiam, qui veniã extorqueat HI. Apte quidem dictum, Extorqueat. Nam citius clauam extorseris è manu Herculis, quàm ab hoc ludendi veniã. At olim illo nemo fuit ludendi auidior. Nic. Verum, sed iam olim ille oblitus est se fuisse puerum. Ad verbera facilimꝰ est & liberalis, hic parcissimus, idemq; difficillimus. HIE. Attamen protrudendus est aliquis legatꝰ, nõ admodum verecundæ frõtis, quem nõ illico protelet suis seuis dictis N. Eat cui volet ego carere malo quàm rogare HI. Nemo magis accommodus ad hæc legationem, quàm Cocles. NIC Nemo profecto. Nam perfrictæ frõtis est, ac bene linguax: deinde sensum hominis pulchrè callet. HIE. I Cocles, ab omnibus nobis magnã initurus gratiam. CO. Equidem expetiar sedulo. Verũ si nõ successerit, ne cõferte culpam in oratorẽ vestrum. HI. Bene ominare: si te satis nouimus, impetrabis. Abi orator, redibis exorator. Co. Eo,

Bene

Bene fortunet legationē meam. Mercurius. Salue præceptor. PAE. Quid ſibi vult nugamentū hominis? CO. Salue pręceptor obſeruande. PAE. Inſidioſa ciuilitas. Satis iam ſalueo, dic quid tibi velis. CO. Tor⁹ diſcipulorum tuorū grex orat ludendi veniam. PAE. Nihil aliud quam luditis, etiam abſq; venia. CO. Scit tua prudentia vigorem ingeniorū excitari moderato luſu, quēadmodum nos docuiſti ex Quintiliano. P. Sanè, vt iſtuc tenes quod pro te facit. Laxamēto opus eſt iis qui vehementer laborant: vobis qui ſegniter ſtudetis, & acriter luditis, freno magis opus eſt, quam laxatis habenis. CO. Adnitimur pro viribus, Et ſi quid hactenus ceſſatum eſt, poſt diligētia ſarcietur. PAED. Oh ſartores. Quis erit fideiuſſor iſtuc futurum? CO. Ego capitis mei periculo non dubitem eſſe ſponſor. P. Imo culi periculo potius. Scio quam non ſit tutum tibi credere. Tamē hic periculum faciam, quam ſis bonæ fidei. Si dederis verba, poſt hac nequicquam mecum egeris. Ludāt, ſed gregatim in campis. Ne diuertāt ad cōpotationes, aut alia nequiora. Mature ſe recipiant domū ante ſolis occubitū. CO. Fiet. Exoraui quanquam ægre. HIE. O lepidum caput, omnes amamus te plurimū. Co. Sed interim cauendum ne quid peccemus,

alioqui de meo tergo dependendum foret: fideiusi vestro omniũ nomine. quod si quid accidat, non est quod me posthac vtamini legato. HIE. Cauebitur. sed quod lusus genus potissimum placet? CO. De hoc in campo consultabimus.

PILA.

NIC. Nulla res melius exercet omnes corporis partes, quàm pila palmaria, sed aptior est hyemi, quàm estati. HIE. Nullum anni tempus nobis parũ accommodum est ad ludendũ. NIC. Minus sudabitur, si ludamus reticulo. HIER. Imo reticulum piscatoribus relinquamus: elegãti⁹ est palma vti. NIC. Age nihil moror, sed quanti certabimus? H. Talitro, sic parcetur pecuniæ. NI. At ego male fronti parci, quàm pecuniæ. HI. Et mihi frõs charior est pecunia Aliquo periculo certãdum est, alioqui friget lud⁹. NIC. Sic res habet vt dicis. HI. Vtra pars prior euicerit tres lusus, ei victa pendet sextam drachmæ partẽ sed hac lege, vt quicquid è victoriis collectũ fuerit, insumatur in conuiuium, ad quod pariter vocentur omnes. NIC. Placet lex, & rata esto: superest igitur vt sortiamur partes: nãsumus fermè pares omnes, vt non admodũ referat, quis cui cõiungatur. HIE. Tu tamen me longe peritior es NI. Vt sim, sed tu fœlitior

cior HIE. Etiam hic valet fortuna? HIE. Illa nulquam non regnat HIE. Agè fiat sortitio. Euge, benè cecidit: contigêre quos volebam. NI. Et nos nostræ sodalitatis non pœnitet. HIE. Agè, simus viri, amat victoria curam. Suum quisq; locũ gnauiter tueatur. Tu mihi cõsiste à tergo, excepturus pilam si me transvolet: tu isti hic obserua, repulsurus huc ab aduersariis reuolantem. NI. Ne musca quidem hoc præteruolarit impunè. HIE. Agite bonis auibus, mittite pilam in tectum. Qui miserit nihil præfatus, frustra miserit. NI. Hem accipe igitur. HIE. Mitto, si miseris extra lineam, aut infra supráue tectum, vestro damno fuerit, aut certe nobis fraudi esse nolim. Tu sanè parum commode mittis, NI. Tibi quidem, at nobis cõmodè. HIE. Vt miseris, ita remittã: par pari referam. Sed præstat ingenue legitimeq; ludere. NI. In ludo pulchrum est arte vincere. HIE. Fateor, atq; etiã in bello. Sed habet vtraq; pars suas leges. Et sunt artes illiberales. N. Credo plures septem. Signa terminũ testula, aut rudere, aut si mauis, pileo tuo. HIE. Tuo malim, NIC Rursus excipe pilam HIE. Mitte. Pone notã. NIC. Habemus duos terminos satis longinquos. HIE. Vtcunque sed tamen vincibiles. NIC. Plane vincibiles; si nemo repugnet. HIE. Euge priorem me ã

præ-

prętercurrim⁹. Vicimus quīdecim: Heus prę bete viros: viceramus & hic, ſi tu tuo conſtitiſſes loco. Sumus igitur pares. NI. Non diu futuri. Vicimus triginta, vicimus quadraginta quinq; HI Seſtertia? NIC. Non. HI Quid igitur? NI. Numeros. HIE. Quo pertinent numeri, ſi nihil eſt quod numeres? NIC. Noſter hic ludus eſt HIE. Prępropere tu qui dem ante victoriam canis triumphum. Vidi qui vincerent ab hoc numero, qui nihil habebant. Varia eſt vt Martis, ita luſus alea. Habemus triginta Iam rurſum ſumus pares. NIC. Nunc ſerio res agitur Euge, ſucceſsit, habemus potiores. HIE. Non diu habituri, Dixin? Rurſus æquali fortuna ſumus. NIC. Diu nutat fortuna, velut anceps, vtris velit addicere victoriam. O fors fortuna, ſi nobis faueris, dabimus tibi maritum. Euge audiuit votum, penes nos eſt huius certaminis victoria. Pone notam cretaceam, ne excidat. HIE. Iam appetit veſpera, & ſudatum eſt ſatis: pręſtat à ludendo deſiſtere, ne quid nimis, ſupputemus lucrū. NIC. Nos emimus tres dragmas, vos duas. Reſtat igitur vna ad compotatiunculam, Sed interim quis ſoluet pretium pilarum? HIE. Omnes ex æquo, pro ſua quiſq; portione Nam lucrum exilius eſt, quàm vt inde poſsit aliquid decidi.

Ludus

Ludus globorum missilium.

ADOLPHVS. BERNARDVS.

ADO. Tu toties apud me gloriatus es, te mirum quendam esse artificem in certamine mittendorum globorum. Age libet experiri qui vir sies. B. Nihil detrecto: huic, si quid libet. Nunc tu plane, quod dici solet, in planiciem prouocas equum. A. Et tu sēties me nō esse asinū. B. Placétne monomachia, vt vnus cū vno congrediatur, an mauis adiungi socios periculi? A D. Malo monomachiam, ne qua pars victorię decidatur alteri BE. Isthuc & ipse malo, vt laus in solidum sit mea. A D. Hi spectatores erunt & arbitri BER. Recipio? quod erit victori brauium, aut que victo pœna? A DO. Quid si victo amputetur auricula? BER. Imo testium alter exercetur potius. Non est magnificum certare pro pecunia Tu Germanus es, ego Gallus. Decertemus pro suæ vterq; gētis gloria: si vicero, tu ter exclamabis, floreat Gallia: si victus (quod absit) fuero, totidem uerbis celebrabo tuam Germaniam. A. Age, placet conditio. B. Adsit fortuna. Quādo periclitāturhoc ludo duę maxime nationes: sint æquales sphæræ. A D. Nosti saxum illud prominens haud procul à porta? A E. Noui. A D. Ea erit meta & hęc linea. BE. Esto, sed sint inquam pares globi.

AD.

AD. Minus discernis ouum ab ouo, aut ficũ à ficu: sed mea non refert, vtrum malis eligere. B. Mitte. A. Heus, tu mihi nõ brachiũ, sed ballistam habere videris, ita torques globum. B. Satis momordisti labrum, satis rotasti brachium, tandem mitte. O vires Herculeas, sed tamẽ vinco. AD. Nisi sceleratus ille laterculus obstitisset, præuerteram te. BER. Consiste in sphęræ tuæ vestigio. AD. Non vtar dolo malo. Cupio virtute, non fraude vincere, quandoquidem de gloria certamẽ est. Bene vertit. BE. Ingens profectò iactus. A. Ne ride, priusquam viceris. Adhuc pene sum⁹ pares. BER. Nũc res agitur. Vter prior metã contigerit, is vicerit. ADO. Vici, canta. BE. Sed definiendum erat, quoto ludo constaret victoria. Nã primo nondũ incaluerunt vires. ADO. Definiant arbitri. ARB. Tertio. BE. Placet. AD. Quid ais? Agnoscis ne victorẽ? BE. Tibi fortuna magis aspirauit, viribus & arte non tibi cessero. Sed quod arbitri pronunciauerunt, id sequar. ARB. Germanus vicit, & hoc gloriosior est victoria, quod talem artificem vicerit. Nunc canta Galle. BER. Sum rauçus. AD. Hoc Gallis nouũ non est, sed tamen coccyssa. BER. Floreat Germania ter. AD. Imò ter hoc erat canendum. BER. Contraximus siticulam, eamus ad compotatiunculam: ibi per-

 ficietur.

ficietur cantio. AD. Non recuſo, ſi ita videtur arbitris. BER. Ita commodius eſt. Melius canit Gallus colluto gutture.

Ludus ſphæræ per annulum ferreum.

GASPAR, ERASMVS.

GAS. Agè, nos auſpicabimur, victo ſuccedet Marcolphus. ER. Sed quod erit victori præmium? GA. Victus ex tempore faciet, & recitabit diſtichon in laudem victoris. ER. Accipio legem. GAS. Vis ne ſortiamur vter prior incipiet? ERA. Eſto tu prior ſi libet: ego malim eſſe Abbas. GA. Hoc, tua conditio potior eſt, quòd tibi nota eſt area. Verſaris in tua harena. In hac exercitatior ſum quàm in libris: tamen iſtud perquam exigui momẽti eſt. ER. Aequum eſt, vt tantus artifex in hoc certamine, mihi largiâre nonnihil. GAS. Imò iſthuc abs te peterem iuſtius: ſed parum eſt honeſta precaria victoria. Is demum vincit, qui ſuo Marte vincit. Ita ſumus pares, vt non melius cõmiſſus fuerit olim, cum Bitho Bacchius. ER. Tua ſphæra cõmodior eſt mea. GA. Et tua vola vincit meam. E. Ludito legitimè, abſq; technis ac dolo malo. GA. Dices tibi rẽ eſſe cum homine probo. ER. Sed prius audire cupio, huius ſphæriſterii Plebiſcita. GAS. Quaternio ludũ abſoluit. Qui hãc lineã præterierit, in damno eſt. Reliquos limites ſi tranſilias,

filias, ſine fraude fiet. Qui globū ſuo loco mouerit, perdit ius feriendi ER. Intelligo. GAS. En occluſi tibi portam. ER. Sed iſthinc te excutiam. GA. Id ſi feceris, cedā tibi huius certaminis palmā. ER. Bona fide? GA. Optima, non enim potes alia via, niſi ſic mittas ſphæram tuam in parietem, vt reſiliat in meā. ER. Id experiar. quid ais bone vir? Nonne depulſus es? GA. Fateor, vtinam tam ſapiens eſſes, quàm es felix. Sed iſtuc centies tentanti, vix ſemel ſucceſſerit. ER. Imò, ſi quid audes deponere pignoris, niſi tertio quoq; experimento ſucceſſerit, vinces. Sed interim redde pactū pręmiū G. Quodnā? E. Diſtichō. G. Reddā. ER. Et quidē ex tēpore. Quid arrodis vnguē? G. Habeo. ER. Recita clarè. G. Clariſsimè.

Plaudite victori iuuenes, hīc quotquot adeſtis,
Nam me qui vicit, doctior eſt nebulo,

Nónne diſtichon habes? ER. Habeo: ſed quale abs te allatum eſt, tale tibi referetur.

SALTVS. Perſonæ.

VINCENTIVS. LAVRENTIVS.

VIN. Libétne decertare ſaltu? LAV. Ludus iſte non cōuenit prāſis. VIN. Quāobrem? L. Quia vētris ſaburra grauat corpus. VI. Non admodū ſanè, qui pranſi ſint in pædagogio. Nam hi plærunq; cœnaturiunt, priuſquam abſoluerint prandium. LAV. Quod igitur ſaliendi genus placet? VIN. Auſpicemur ab eo

quod eſt ſimpliciſsimum, à ſaltu locuſtarũ, ſiue mauis ranarum, vtraq; tibia, ſed iunctis pedibus. Qui longiſsimè promouerit cingulũ, coronam feret. Huius vbi erit fatietas, aliud atq; aliud genus experiemur. Lau. Equidem nullum recuſabo genus, niſi quod geritur cũ periculo tibiarũ, nolim mihi rem eſſe cũ chirurgis. VIN. Quid ſi certemus vnica tibia? L. Iſte ludus eſt Empuſæ, valeat. VIN. Haſtę innixum ſalire, cum primis eſt elegans. L. Liberalius eſt certare curſu. Si quidem hoc certaminis genus, apud Vergiliũ propoſuit & Aeneas. V. Verùm, ſed idẽ propoſuit & cœſtuũ certamen, quo non delector. L. Deſigna ſtadiũ: hoc loco ſit carcer. Quercus iſta ſit meta. Vin. Sed vtinã adeſſet Aeneas, qui proponat & præmia victori. L. Victori abunde magnũ præmium eſt gloria. V. Victo potius dandũ erat præmium, ſolatij gratia. La. Sit igitur victo præmium, vt lappa coronatus redeat in vrbẽ. V. Equidem non recuſarim, ſi tu præcedas, tibia canens L. Eſt ingens æſtus. V. Nec mirùm, quum ſit ſolſtitium æſtiuum. L. Præſtiterat natare. V. Mihi nõ placet ranarũ vita. Animal ſum terreſtre, nõ amphibion. L. Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cum primis habebatur liberale. VI. Imò etiam vtile. La. Ad quid? VI. Si fugiendum ſit in bello,

ibi

ibi potiſsimũ valẽt, qui ſeſe curſu pedũ,& natatu exercuerũt. LA. Artem narras, haudquaquam aſpernendam. Neq; enim minus laudis eſt, aliquando bene fugere, quam fortiter pugnare. VI. Sum plane rudis, & imperitus natandi, nec ſine periculo verſamur in alieno elemento. LA. Sed adſueſcere oportet. Nemo naſcitur artifex. VI. At ego iſtius generis artifices, permultos audio nataſſe, ſed non enataſſe. Experieris primũ innixus ſuberi. L. Nec ſuberi fido magis, quã pedib⁹. Si vobis cordi eſt natatio, ſpectator eſſe malo, quã certator.

VENATIO.

Paulus. Thomas, Vincẽtius, Laurẽti⁹, Bartholomęus.

PAV. Trahit ſua quenq; voluptas, mihi placet venatio. T. Placet & mihi, ſed vbi canes, Vbi venabula? Vbi caſſes? Pau. Valeant apri vrſi, cerui, & vulpes, nos inſidiabimur cuniculis. VI. At ego laqueos iniiciam locuſtis, inſidiabor gryllis. LA. Ego ranas captabo. Bar. Ego papiliones venabor. Lau. Difficile eſt ſectari volãtia. BAR. Difficile ſed pulchrũ. Niſi pulchrius eſſe ducis ſectari lumbricos, aut cochelas, quia carent alis. LAVR. Equidem malo inſidiari piſcibus: eſt mihi hamus elegans. BAR. Sed vnde parabis eſcam? LAV. Lumbricorum vbique magna eſt copia Bar. Eſt, ſi tibi velint prorepere è terra. LAV. At

ego mox efficiã, vt multæ myriades prosiliãt. BAR. Quo pacto? Incantamentis? LAV. Videbis artem. Imple hanc situlã aqua. Hos iuglandium summos cortices virentes, confractos immittito. Hac aqua perfunde solum. Nunc obserua paulisper. Vides emergentes? BAR. Rem prodigiosam video. Sic olim opinor exiliebant armati ex satis serpentis dentibus. Sed plerisque pisces, delicatioris & elegantioris sunt palati, quàm vt esca tam vulgari capiantur. LA. Noui quoddam insecti genus, quo talibus insidiari soleo. BA. Tu vide an possis imponere piscibus: ego ranis facessam negotium. LA. Quomodo, reti? BA. Nõ sed arcu. Lau. Nouum piscandi genus. BA. At nõ iniucũdũ: videbis & fateberis. Vin. Quid si nos duo micemus digitis? PA. Ignauũ est, ac rusticũ lusus genus. Ad focũ desidentibus magis cõuenit, q̃ in cãpo versãtibus. V. Quid si certemus nucib⁹? P. Nuces admodũ pueris relinquamus, nos grãdiusculi sumus. V. Et tamẽ nihil aliud adhuc q̃ pueri sum⁹. P. Sed quibus decorũ est ludere nucibus, iisdẽ nõ indecorũ est equitare in arundine lõga. V. Tu igitur prescribito lusus gen⁹: sequar quocũq; vocãris. P. Et ego futur⁹ sum oĩm horarũ homo.

Euntes in ludum literarium.

SYLVIVS. IOANNES.

Syl-

SYL. Quur adeò curris Ioannes? IO. Quur lepus vt aiũt, pro carnibus? Syl. Quid hoc prouerbii est? IO. Quia nisi adfuero in tempore, ante recitatum catalogum, actum est de pelle mea. Syl. Hac quidem ex parte nihil est periculi: modò præterita est quinta. Inspice horologium: manus nondum attigit punctũ, quod horã ab hora, æquis spatiis dirimit. IO. Quid loquebatur? Sy. Horam esse quintam. IO. At ego vix habeo fidem horologiis, mentiuntur nonnunq̃. Sy. At mihi fide, qui cãpanæ vocẽ audiui. IO. Sed est & aliud vnde magis etiam timeam: reddenda est memoriter hesterna lectio, satis prolixa. Vereor vt possim. Syl. Cõmune periculum narras, nam & ipse vix satis teneo IO. Et nostri præceptoris sæuitiã. Omnis illi noxia capitalis est, nec magis parcit nostris natibus, q̃ si corium esset bubulum. S. Verùm is non aderit in ludo. IO. Quẽ igitur vicarium cõstituit? Sy. Corneliũ. IO. Strabũ illum? væ nostris natibus. Is, vel Orbilio plagosior est. Sy. Verùm dicis, & ideo nõ raro sũ illius brachio precatus paralysim. I. Nõ est piũ imprecari præceptori, nobis potiꝰ cauẽdũ, ne incidamus in illius tyrãni manꝰ. S. Reddamꝰ inter nos vicissim, altero recitãte, altero codicẽ inspiciẽte. I. Pulchrè mones. S. Fac præsẽtis animo. Nã metꝰ officit memoriæ. I. Facile

deponerem pauorem, si nõ adesset periculũ. At in tanto discrimine, quis possit esse securus animo. Sy Fateor, attamen non agitur de capite, sed de parte diuersa.

ALIA.

CORNELIVS. ANDREAS.

COR. Scitè tu quidẽ pingis, sed charta tua perfluit. Charta subhumida est, ac transmittit atramentum. AN. Quæso, vt appares mihi pennam hanc. CO. Deest mihi gladiolus scriptorius. AN. Accipe coticulâ. CO. Vtrũ amas scribere cuspide duriuscula, an molliore? AN. Attẽpera ad manũ tuã. C. Ego molliore soleo. AN. Quæso vt mihi describas ordine figuras elementorum. CO. Græcas, an Latinas? AN. Latinas primum eo nabor imitari. CO. Suppedita chartã. AN. Accipe. Co. Sed meum atramentum dilutius est, subinde infusa aqua. A. At meũ linteolum prorsus exaruit. CO. Immũge, nisi mauis immeiere. A. Imò potiùs rogabo alicunde. CO. Præstat habere domi, q̃ rogare commodato. AN. Quid est scholasticus, absq; calamo & atramento? CO. Quod miles, absq; clypeo & gladio. A. Vtinam mihi essent articuli tã celeres. Equidem non possum dictantis vocem scribendo assequi CORN Prima cura sit, vt bene scribas, proxima vt celeriter. Sat scitò, si

sat

sat bene. AN. Bellè, sed istam cationem cane præceptori, quum dictat. Sat cito, si sat bene.

BREVIS DE COPIA præceptio.

PRincipio res ipsa puris, electis, ac Latinis verbis efferenda est: quod ipsum posse, non mediocris artificis est. Sunt enim permulti, q nescio quomodo copia & varietatẽ orationis affectat, quum ne sen el quidem rem possint apte explicare. Isti tanquá semel balbutisse sit parum, balbutiem suam aliis atq; aliis modis reddũt balbutiorem, tanquam ipsi secum certamen susceperint, vt quàm barbarissime dici possit, dicant. Itaq; inepti synonyma quædam congerũt, adeo interdum inter se dissidentia, vt ipsa mirentur quo pacto conuenerint. Quid enim absurdius, quàm hominem pannosum, cui ne vna quidem quàm sine pudore possit induere, sit vestis, tamen subinde suos panuos mutare, ac mendicitatem suam pro opibus ostentare? At nihilominus ridiculi videntur isti varietatis affectatores, qui quũ barbarè semel dixerint, reperiũt idẽ multo barbarè, demũ iterũ atq; iterũ indoctius. Hoc est, non oratione, sed solœcismis abundare. In primis igitur, vt dixi, res ipsa aptis atq; electis verbis est explicanda. Deinde mutatoriis verbis vtendum, si qua quæ idem efficiant, reperiantur: reperiũtur enim per multa. Demũ vbi propria deficiẽt, translatitiis erit vtendum, si modo verecũda sit translatio. Ea quoq; vbi deerunt, si per actiua dixisti, ad passiua reuertendum erit: quæ nobis totidem orationes reddunt, quot ex actiuis constabant. Postea verba, si licebit, aut in nomina verbalia, aut in participia commutabimus. Postremo vbi modo aduerbia in nomina, modo nomina in alias atq; alias partes commutauerimus,

rimus, per cõtrariũ dicemus, aut affirmatiuã orationẽ in negatiuã cõmutabimus, aut retrorsum. Aut certẽ quod pronũciatiue dictũ fuit per interrogationẽ efferemus. Nunc exempli causa hac sententia sumamus.

Literæ tuæ magnopere me delectarunt.

LITERAE.

Epistola, epistolium, scripta, schedæ, literæ.

MAGNOPERE.

Mirum in modum, miris modis, maiorem in modum mirandum in modum, supra modum, plurimum, non mediocriter, summopere, maximopere.

ME.

Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum, Christianum.

Delectárunt.

Voluptate affecerunt, recreauerunt, exhilararunt, voluptati fuerunt, oblectarunt, voluptate perfuderũt, mellitissimæ fuerunt, iucundissimæ. &c. Habes materiam, tuum erit componere. Experiamur igitur. Faciamus periculum. C. Tuæ literæ magnopere me delectárunt. Tua epistola mirificẽ nos exhilarauit. A. Verte actiuum in passiuum, alia erit facies. Vt, Dici non possit, quàm tuis sim scriptis exhilaratus.

Item per alia verba idem efficientia.

Tuis ex literis incredibilẽ cepi voluptatẽ. Ex epistola celsitudinis tuæ, plurimũ voluptatis accepi. Nõ mediocrem lætitiam tua mihi scripta attulerũt. Gaudeo tua me scripta quãtus erã perfuderũt. Hic non ita liceret mutare in passiua, nisi in illo postremò, perfusus gaudio, quod vsitate dicitur. Capiebatur à me voluptas. Allatum est gaudium, non perinde vsitate dixeris.

PER AFFICIO.

Singulari voluptate literæ tuæ me affecerunt.

Muta in passiuum.

Tuis

Tuis ſcriptis incredibili ſum affectus voluptate.
Non parum gaudiorum, tuũ nobis epiſtoliũ peperit.

Per Sum, & nomina adiectiua.

Tuæ mihi literæ multis modis iucundiſsimæ fuerunt.
Fuit tua illa epiſtola ſanè quàm gratiſsima.

Per nomina ſubſtantiua.

Ineffabili voluptati tua nobis epiſtola fuit.
Incredibili iucunditati fuerunt tuæ literæ.

Commuta in negationem.

Tua ſcripta non mediocri lætitiæ fuere. Nihil in vita tuis literis accidit iucũdius. Quanquã hac ratione ali quoties iã vſi ſumus, quę nõ eſt negligẽter prætereunda. Nã quoties, multũ plurimũ, ſingulariter ſignificare volumus, per cõtrariũ verbũ idem efficiemus: vt, Vehemẽter te amat Henricus. Haud vulgariter te amat. Multũ me iuuat vinum, haud parũ iuuat. Eſt vir ſingulari ingenio. Eſt vir ingenio non vulgari. Eſt homo doctrina admiranda. Eſt homo non cõtemnenda doctrina. Thomas eſt ſummo apud ſuos loco natus. Non infimo loco natus. Auguſtinus eloquentiſsimus fuit. Non ineloquens fuit. Carneades orator fuit nobilis, nõ ignobilis, nõ obſcurus. Et id genus ſimilia, quæ nũquam nõ in vſu veniunt. Sed admonuiſſe rem clariſsimã ſatis eſt. Nec te lateat bifariã nos huiuſmodi rationũ genere vti: tũ modeſtiæ cauſſa (præſertim ſi de nobis ipſis loquamur) cum etiã amplificandi gratia. Nam non ingratum, pro valdè grato: Non vulgariter, pro ſingulariter, rectè & venuſtè dicimus.

Modeſtiæ cauſſa.

Ego literis meis nonnullam doctrinæ ſum opinionẽ conſequutus. Semper curaui, vt in literaria gloria nõ poſtremas parteis tenerem. De amplificatione ſuperiora ſunt exempla, nunc ad noſtra reuertamur. Nihil tua epiſtola vnquam euenit gratius. Nulla res

maiori

maiori vnquam voluptati fuit, quàm tua scripta. Nulla vnquam ex re tantundem cepi voluptatis, quãtum ex tuis literis amantissimis. Hoc modo singulæ orationes superiores, poterunt variari per interrogationem. Quid tuis literis in vita iucundius esse potuit? Quid epistola illa tua nobis euenit dulcius? Quid ita oblectauit vnq̃ vt proximæ tuæ literæ? Hoc modo rursum singulas ferè rationes variare licebit. CO. Quid deinde fiet? A. Iam paulo liberius totam orationem vertemus, vt vnam dictionem pluribus verbis circumloquamur. CO. Dic exempli causſa. AN. Quod modo per nomen (incredibile) modo per aduerbiũ (incredibiliter) dictum erat, vnam dictionem aliquot verbis commutabimus. Literis cõsequi nequeam, quantum tuis literis sim delectatus. Et mihi scriptu, & tibi creditu perdifficile fuerit, quantæ iucunditati tua mihi scripta fuerint. Explicare prorsum nequeo, q̃ sim tuis literis gauisus. Et item in infinitum. Rursum alio pacto. Nam hactenus & per negationem & per interrogationem, postremo per infinitas orationes variauimus. Nunc per subiunctiuas siue conditionales variabimus hoc modo: Moriar, si vnquam quicquam fuit tuis litteris, aut optatius, aut dulcius Pereã, si vlla res maiori voluptati fuit, q̃ tuę literæ. Ita me Deus amet, vt nihil in vita tuis literis accidit iucundius. Et item alia multa in hunc modum excogitare licebit. CO. Quid inde? Nunc ad translationes, similitudines, & exempla fugiendum est.

TRANSLATIO est in his.

Accepi literas tuas, quæ mellitæ fuerunt. Nihil nisi meræ delitiæ tua mihi scripta videntur. Mera voluptas sunt tuæ literæ. Et huiusmodi plurima. Sed cauẽdum est ne obsoletis aut durioribus translationibus vtamur quale illud est: Iupiter hybernas cana nive conspuit

conſpuit, Alpes. Et quale eſt illud, Cœna tuorum ſcriptorum me ſuauiſsimis epulis refecit.

COMPARATIO à ſimili.

Tua ſcripta, omni vel Ambroſia vel nectare ſuauiora fuêre. Literæ tuæ quouis melle mihi fuere dulciores. Epiſtola humanitatis tuæ & ſiliquam omnem, & mel Atticum, & ſaccarũ omne, nectar, Ambroſiamq; Deorum, longè ſuperauit. Hic quicquid dulcedinę nobilitatum eſt, in medium adduci poteſt.

AB EXEMPLO.

Nunquam adducat, ut credam Heronẽ Leandri ſui literas. aut maiore voluptate aut plurib⁹ oſculis accepiſſe, quàm tuas accepi. Vix crediderim, aut Scipionem euerſa Carthagine, aut Paulum Æmilium capto Perſeo, magnificẽtiorem egiſſe triumphũ, quàm ego, ſimul ac ſuauiſsima tua ſcripta, tuus mihi tabellarius reddidit, Huiuſmodi tum ex fabulis, tum ex Hiſtoriis infinita poſſunt inueniri. Ephyſica verò ſumuntur rerum ſimilitudines, quarum quamplurimarum naturas memoriter tenere neceſſe eſt. Nunc ſi libet, in alia ſententia tentemus.

Nunquam dum viuam, tui ero immemor: Semper dum viuam, tui meminero. Quoad viuam, nunquàm me tui capiet obliuio. Prius viuere deſinam, quàm tui meminiſſe.

PER COMPARATIONES.

Si vmbram corpus poterit effugere, & hic animus tui quib⁹ obliuiſci. Tui memoriam ne Lethæus quidem amnis poterit abolere.

Præterea per Adynaton, aut more poëtico per contraria.

Dum iugæ montis aper, fluuios dum piſcis amabit. Ante leues ergo, &c. quę non eſt multi negotij ex cogitare.

cogitare. Verum ne immodici videamur, his in præsentia contenti simus. Aliâs si voles, copiosius huc de re colloquemur. CH. Ego te Augustine iam planè exhaustum putabam. Sed tu præter expectationem, nouum thesaurum indicasti: quem si pergas explicare, nox ante occupauerit, quàm tibi eadem de re desint verba. A. Si ego hoc mediocri & doctrina & ingenio præsto: quantum Ciceronem ipsum valuisse credis, qui cum Roscio histrione certasse legitur? Sed sol nos reliquit. Humescit cœlum, præstat imitari auiculas tectoq; ac lecto nos condere. Proinde vale mi Christiane suauissime in crastinum. CH. Tu itidem bene valeas Augustine omnium doctissime.

IOAN. TEXTORIS
VIRI DOCTISSIMI
Comœdia.

PERSONAE.

Iuuenis, Pater, Vxor.

IVVE. Amabò pater, agesis quid agendum mihi siet: quo minus vitam hanc breuiusculam & bulla fragiliorem, in ærumnis degero? Pa. Quid inquam tibi est animi? gauderem si quid facerem, quod tibi non esset molestum. IVVE. Verum ego te eam ob rem consultum volui, quoniam iam ex ephœbis excessi, vt mihi ætatis prouectæ aperires, quod

quod mihi factu videres vtile. PA. Nihil fili magis in rem tuam esse conspicio, quàm vt ludum sequare literarium. IV. Non, si clamando medius crepueris, istud in animum inducas meum pater. P. Quid ni induxero? I. Pol literis nihil vnquam magis odiosum mihi visum est. P Quid ita? IV. Vt enim opulento homini seruitus dura est, ita delicato corpori odiosa scholaris disciplina. PA. Odiosa? IV. Odi ædepol. PA. Quod eius rei feciſti periculum? IV. Ex aliis hercle periculum feci, atq; iis potissimum, qui in pedotribarum carceribus & moletrinis aliquandiu fuere relicti. PA. Illic ne miseriarum aliquid esse dicunt? I. Quin ipsam esse miseriam dicunt. PA. Ain verum? IV. Aio enimuero. PAT. Quid causſæ est? IV. Aiũt mollicula corpuscula noctes & dies flagris illic contundi, cruscula ipsa pedum tenus detunicari. PA. Aiúntne esse vllũ veniæ locũ? IV. Nullum hercule, sed quotidie morbos augificari. Puerulorum scapulis vndantes sanguinis riuos vbertim elici dicunt, ipsosq; interdum non prius eiulantes relinqui, quã spiritũ pene emiserint. PA. Istud probæ indolis adolescentibus fieri non dicunt. IV. Nullum sanè discrimen afferunt, eadem est præceptorum in omnes toruitas, idem furor, eadem violentia. PA. Erras si credis fili.

IV.

IV. Edepol, & credo Pater. PA. Hoccine credibile est, quenquam esse tantæ feritatis ludimagistrum, qui infantulos ad mortem vsque verberet? IV. Credibile non putassem Pater, nisi super vnum plagis pessime confectum, protinus inhumari vidissem. PA. Morbo fortasse laborabat: & ægritudini succubuerat. IV. Nullum mecius fidius morbi contagium senserat. PA. Quo nam igitur modo periisse dicunt? IV. Dicunt, à leoninæ torvitatis sanguinario præceptore, flagris primò cruentatum, demum pedibus misere turbulentarum, postremò in parietes (dictu horrendum) impetuose, iaculi morte contortum. P. Erras inquam, si credis fili. I. Nec erro edepol, & credo Pater P. Aliter tibi persuadeas velim. IV. Pol non si Demosthenes & Tullius adfuerint mihi vnquam persuaserint. PA. Saltem id patris vel mandato, vel precibus condones. IV. Pater, quicquid aliud voles impera, mãdatis tuis stetero: sed quod scholas ingrediar, & ferulæ me submittam, non obediam, etsi me pugnitus interficias. PA. Hei fili. I. Tuus hercule filius: sed pater nõ esses, si in eum me cõpelleres pistrinum, vbi me minutatim discerpendum conspicias. PA. T. Discerpendum cõspicerem, istuc nunquam vellem excogitare. IV. Missa isthæc faciamus velim Pater, siqui-

dem

dem mihi nauſeam excitant. PA. Quid igitur aliud feceris, quo tibi victum quærites? vis militiam ſequendo Troianorum, vel Romanorum numero cõſcribi? IV. Deterius loqueris: nullũ officii genus mihi gratum eſt, quod plagis & vulneribus ſit obnoxium. P. Aliquid agas oportet, vis inſtar eorum qui latrinas exhauriunt, inhoneſto victitare lucro? IV. Téne tui puderet, qui filium eò deprimi velles? PA. Eò deprimi nolim. Quoniam tamen ſcriptũ eſt, qui non laborat, non manducet, aliquid agas expedit IV. Pater, vis in verba pauca tibi conferam quid eſt quod me titillet maxime? P. Volo. IV. Votis meis non acquieſces. PA. Forſitan. IV. Sed dic bona fide quæſo, acquieſces? PA. Si factu iuſtum fuerit quod petiueris. IV Iuſtum pures factu, & licitum. PAT. Nũc igitur petas. IV. Quum ſim forma adeo venuſta & liberali vt nihil ſuprà, vxorem velim ducere. PA. Papæ quid audio? IV. Hoccine acquieſcendi primordium? PA. Hei iuuenem delirum. IV. Neſcio quid facturus ſim, quod ſtomachum tuum delectet. PAT. Vxorẽ quæris miſerrimæ Nigot? Quid aliud eſt quàm iugum & onus appetere? IV. Sit onus, eſto: ducam tamen ſi permittas. PAT. Id meo non fiet conſilio. IV. Saltem non reluctaberis? PA. Nõ reluctabor: ſed ſi ſtultitiæ tuæ te pœ-

niteat, neminem præter te vnum arguas. IV. Neminem arguam, vale pater. PA. Bene vale fili IV. Mea Canulla, ſopitíne quieſcunt antiqui amores noſtri? VX. Meus quotidie augeſcit IV. Et meus incrementũ ſuſcipit. Iam, vt aliquando his quæ amantes duriter excruciãt finem imponamus, ad connubia deſcendamus. VX. Perplacet. IV. Hunc ego anulum in amoris perpetui pignus confero. VX. Hoc egomet fidei xenium tibi præſto. IV. Iamiam vt moris eſt preſbyterum adeamus qui nos indiſſolubili vinculo copulet VX. Adeamus, valete ſpectatores, tantiſper dum è templo redierimus. P. O perdeliram iuuenum uecordiam. O inopes conſilij animos, qui patribus inuitis ad protogamiam ſeu primas nuptias accedunt, miſeriarum & factionum ignari, quas affert coniugalis thalamus. Laborũ expertes, quos nutriendorum liberorum ſumptus expetit: impendiorum neſcij, quę domeſtica neceſsitas exigit. Hinc vxor oblatrat, hinc in cunabulis vagiunt filij. Hinc aliquando prouectiores, coruorum more cibum appetunt. Hinc nundinæ maritum ad quæſtum vocant. Voluit tamen fatuellus meus filius, diſſuadente fruſtra parente, vxorem ducere: putans lætitiam illam quæ primo nuptiarum die titillat, perpetuam fore. Verum experietur.

tur quod scripsit. Hiponactes, quos tantum dies vxoris esse dulcissimos? nuptiarum videlicet & mortis. Experietur inquam verum, diem videlicet nuptiarum multorum malorum initium. Aderitq; vt opinor, tempus, quo sibi accidisse vellet, quod Eupolidi & vxori contigisse asserit Ouidius: quos prima nuptiarum nocte, ruina lecti interfectos his asserit versibus.

Sit tibi con ugij nox prima, nouissima vitæ
Eupolis hoc periit, & noua nupta modo.

Sed adesse video meum vxorium fatuellum cum sponsa. Ego igitur hic tantisper quiescã, donec videro quo more vnà vixerint. I. Vxor mea. V. Mi marite. I. Quanta est in coniugio voluptas? V. Quam vehemẽs & suauis amor? I. Quot concharum oscula? V. Quot risus? I. Maritus cum vxore ablectatur. V. Vxor cum marito ridet. I. Vnà compotant. Vx. Vnà comedunt. IV. Quis igitur nuptias vituperet? V. Quis Aristoteli non cõdescendat in Ethicis scribenti, Viro politico ducendã esse vxorem, non solum liberorum, sed victus & auxilii caussa? IV. Quis cum Herocle non fatea tur genus hominum sociale esse, ipsius autem societatis principium esse coniugium, sine quo neq; ciuitates consistere, neq; domus perfecta esse potest. V. Pytagoras, Socrates

Crates etiam, qui tenui ſupellectile fuêre, vt à maioribus meis accepi, vxorem duxerunt: eisq; cohabitauere, nec impedimẽto eſſe philoſophiæ putauerunt. IV. Quid quæſo ſecundum naturam magis eſt, quàm vxorem ducere? Vx. Faceſſant igitur, qui nuptias, velut periculoſum aliquid reſpuunt. IV. Faceſſant qui ducendam non eſſe vxorem dicunt. Vx. Sed heus marite, hoc nuptiarum die, lautè & genialiter viuimus, quid verò die craſtino comedemus? IVVE. Iam quæ futura ſunt proſpicis? VXOR. Niſi id in rem meam fore conſpicerem, quæ futura ſunt non contemplarer. Opus eſt igitur, vt tete operi accingas, quo noſtrum vtriq; victum quærites. IVVE. Mene diſcrutiare iam quærites? Vx. Quid diſcrutiare? ſed noſtræ duorum vtilitati conſulere velim: properè igitur quidquid feceris. IVVE. Aliquandiu ſaltem adhuc requieſcere permittas. Vx. Vin nos inedia conſumi? IVVE. Nolim. Vxor. Propera igitur inquam, ſecus ignauiam tuam mihi non placere periclitaberis. IVVE. Marito moleſta eſſe iam incipis? VX. Quid hic verborum eſt? ſatis ne tibi videor obloquuta miſerrime? I. Hem voluptas, vt uunquam es perpetuo bona. VX. Nullum ergo mandatis meis locum reliqueris? vapula. IVVE. Hei mea vxor, ne tam duriter in me

in me ſæuias: quicquid voles exequar propere. VX. Has clitellas humeris ſuperpone, ac lignũ venale compitatim deferas, quo noſtrum vtriq; victum quærites. Perge Nigot. IV. O q̃ miſeri ſunt qui vxoribus ſuis nubũt, miſeri in quã, quibus vxores imperãt. Verũm nũc experior quod mihi Pater prædixerat, multas in matrimonio eſſe miſerias: miſerũ me, quid agã? Si domũ nũmis vacuis rediero, phanatica illa mulierecula diriter me iugulabit. Heus tu, qui propinquus hic aſtas, hoc me exoncres, ligno, ſtipemq́; aliquam mihi cõferas, ſecus hodie poſtremum me vides. Nũc parta pecunia ad vxorem redeo. Hem vxor adeſt demum lucrum. VX. Id tantum nobis comparaſti ſceleratiſsime Nigot? vapula, vapula. IV. Pol ego plura non perferam. Vx. Inſurgis in me nepharie? ego tibi ſanè faciem vnguibus deformabo. IV. Hei vxor, ſit ſaltem veniæ locus: nunq̃ in flagitia reuerti mihi cõtigerit. V. Surge igitur. IV. Faciã quicquid iuſſeris. V. Aquã ſitulis exanclaturus propera. IV. Dicto citius pareo. Hei quã miſeri ſunt, qui vxoribus ſuis nubunt: vellem primo nuptiarum die, me ſubitanea morte conſumptum fuiſſe. Hei miſero mihi, quid faciam? redeo vxor, aquam affero. Vx. Hem, quid hic lachrymarum eſt? IV. Non lugeo. Vx. Non ſi ſapis. Telam hanc ad

riuum lauatum propera. IV. Næ vxor pareo. Vxor. Properes inquam. IV. O infortunatam mariorum conditionem, vellem me terra absorptum; quũ mater me peperit. Quid faciã? Quò me vertam? miserum me qui hanc mulierculã in vxorẽ duxerim. Rẽdeo vxor, mũdam refero. Vx. Sceleste, quid labeculã hanc non abluisti? vapula. Tũ tantisper dũ rure rediero domi remane: ac me ibidem operire, & caue si pedem cõmutaueris. IV. Ah Pater pater. PA Hã fili fili. IV. Verum nunc experior, quod esse prædixeras. PA. Quid illud? IV. Permultas in matrimonio esse miserias. PA. Periculũ feciſti? IV. Plus satis expertus sum. phanatica vxor mea scapulas flagris mihi murilauit, neq; magis mutire licet, q̃ si lapideus essem. Suis mãdatis parere cogor: vellem me primo nuptiarum die, terra fuisse absorptum. PA. Tu quoniam consilio meo acquiescere recusasti, perpetere quicquid meritò pateris. Nam quod pertuliſti nihil est, lõge plura passurus es. Quòd si soli tibi id contingere cogitas, audi turbulentam Socratis Xantippen: Audi quibus conuitiis maritum insectetur, & obtundeat. FINIS.

DIALOGVS Pueri & Præceptoris.

PVER.

Quid

QVID faciendo vitã ęternã posſidebo? PR. In lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis? PV. Diliges Dominum Deum tuũ, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnib⁹ viribus tuis. ex omni mente tua, & proximũ tuum ſicut teipſum. PR. Rectè iudicaſti, hoc fac, & viues. PV. In his duobus mandatis, totàne lex pendet & prophetæ. PR Maximè: qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam illa: Non occîdes, Non furaberis, Non adulteraberis, Nõ falſum teſtimonium dices, Non concupiſces rem proximi tui: & ſi quod eſt aliud prȩceptum, in hoc ſermone ſummatim comprehẽditur: Diliges proximum tuũ ſicut teipſum. PV. Non poteſt amor Dei ſubſiſtere ſine dilectione proximi? PR. Nequaq̃ PV. Cur non? PR Nam qui habuerit ſubſtantiã mundi, & viderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Ad hæc dicit Ioannes Euangeliſta: Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrẽ ſuum oderit, mẽdax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem nõ videt, quomodo poteſt diligere? Quia Deũ nemo vidit vnquam. Si igitur, inquit, eſurit inimicus tuus, paſce illum: Si ſitit, da illi potum. Hoc enim ſi feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius, & do

minus

minus reddet tibi. Ideo hoc præceptum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.

DECEM DEI VERBA SIVE PRAECEPTA.

MEnte deum tota veneraré, & ſemper adora.
Non iures fruſtra ſanctiſsima numina diuûm.
Hinc caueas feſtis quicquam exercere diebus
Quod vetitũ eſt. Magno pius affice honore parẽtes.
Non hominem occîdas. Nunquam furâre. Malignus
Eſſe caue teſtis. Nec non bonus effuge lectum
Concutere alterius, tedas fœdare iugales.
Non modo ne turpis ſis lege iuberis adulter,
Sed ne nupta quidem alterius tibi mente petatur.
Cuncta aliena, bonus quo ſis, cupiiſſe caueto.

AD virtutum ſtudia adhortatio.

Qui meſſe in tenera frumentum colligit hercle
Ille quidem eſt prudens, eſt probus, eſt ſapiens.
At verò totam æſtatem qui ſterrit, hic atram
Turpiter in famam ac dedecus omne ruit.
Collige ſcite puer, dum tempus collige fructus
Virtutum, & ſtudiis tẽ dato parue bonis.
Sic honor haud paruus, ſic ingens gloria tectum
Semper erit: contrà prægrauis vſque pudor.
Nunc tua meſsis adeſt, tua nunc tibi uoluitur æſtas,
Dum uigor eſt animo, dumq; iuuenta uiret.

Ad Deum Omnipotentem.

Rex regum, benedicte parens, qui triuus & unus
Regnas, infirmæ ſuppetiare animæ.

FINIS.

BRITISH MUSEUM 23 MR 88